



~~G. H. 17~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-7
SIGNAT. MDLCCXIII.

verschalt



JOANNIS FRIDERICI SCHARFII
 J. U. D. & P. F. ADJ.
 CONTROVERSIARUM
 EBRÆO-SYRARUM
 FASCICULUS UNUS
 ALTER SEQVETUR.

☩ אלהים יצר לנו לسان חזק ופה רב דבורים וקטנה

Deus constituit in Ecclesiâ genera Linguarum, 1. Cor. XII, 28.

WITTEBERGÆ,
 EX TYPOGRAPHEO HAKIANO,
 A. O. R. ☉ 1772 LXXII.



جميع ما في كتابنا

ΠΡΟΟΪΜΙΟΝ.

ET addiscendæ & excolendæ Sanctissimæ
Lingvæ, quibus omnis divini verbi veritas ac certitudo
ad nos propagata; hîc fons est, à quo, quæcunq; de-
ducuntur Versiones, rivulî sunt & canales dulcedine
puritateq; fonti ipsi neutiq;am æquiparandi, inquit absolu-
tissimus ille Theologus pariter ac Philologus D. GLASSIUS,
& dulcius simulq; purius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Ament
alii elegantiam oris Romani, mirentur & admirentur majesta-
tem labii Hispanici, exosculentur dulcedinem eloquiî Gallici,
nobis ad amorem elegantia Lingvarum sanctissimarum, quibus
verbum Dei originaliter consignatum, nobis ad admirationem
majestas illarum, quibus Deus locutus, nobis ad delectationem
dulcedo istarum, quæ verba vitæ. Et ut tantummodò hac vice
de Lingva S. Veteris Testamenti dicamus, elegans ea est & pu-
ra, admirabilis est, dulcis est, addimus, necessaria est, præpri-
mis Theologo futuro, ut eâ vel planè non, vel certè difficulter
carere possit; quemadmodum istud satis graphicè antea nomi-
natus Philologo-Theologus, in Oratione sub auspicio Prof.
Hebr. in Alma Salana habitâ, diduxit. Fidem demus verbis,
simulq; aures præbeamus B. nostro Thaumasiandro LU-
THERO, qui in Commentar. Psal. præmissâ seriâ adhortatio-
ne ad hoc studium, ita valdè ἐπιφατιῶς: *Si aliqui futuri sunt The-
ologi, sicut necesse est, neq; n. omnes Jura aut Medicinam discemus, o-
portet eos esse munitos contra Papam & aliud odiosum hominum vul-
gus, qui cum unam Hebræam vocem sonare didicerunt, statim putant
se Magistros hujus sanctæ lingvæ, ibi, nisi eam nos tenuerimus, tan-
quam asinis illudent & insultabunt. Si autem nos quoq; muniti fueri-
mus cognitione hujus lingvæ, poterimus eis impudens os obstruere, sic
enim diabolo & ejus ministris resistendum. Et vos quoq; dabitis ope-
ram, qui aliquando docebitis Religionem, ut hanc quoq; Linguam di-
scatis, si non pecora campi, & indoctum vulgus haberi vultis. Hacten-
us LUTHERUS. Ac rectè PHILIPPUS MELANCHTHON.*
Scri-

Scripturam, judicavit, non posse intelligi Theologicè, nisi prius intel-
ligatur Grammaticè. Quid enim quæso verius, quid præstantius
 in tam concisâ verborum brevitate dici potuit? Necessariam
 nempe censuit doctissimus Vir, Lingvarum præprimis Orien-
 talium cognitionem, atque quidem adeò inevitabiliter, ut in
 verum etiam sacrarum Literarum sensum absque eadem admit-
 ti vix quis queat. Docent idem & ad oculum monstrant Cele-
 berrimi quique Theologi, adunum omnes, dum interpretati-
 onis Scripturæ Sacræ media nobis præscribentes, Lingvarum &
 inter eas Ebrææ maximopere commendant studium. Videan-
 tur inter alios Beatissimi Triumviri FRANTZIUS in *prefat. Tra-*
ctatus de Interpret. Script. S. GERHARDUS in Method. Stud. The-
ol. part. 2. sect. 1. c. 1. 2. p. 46. seq. & WALTHERUS in Harmon. Script.
Sacr lib. 1. c. 2. p. m. 34. Addatur item Reverendissim⁹ D. CALO-
 VIUS, Theologorum nostri temporis Princeps, (quò titulo Eum
 jure merito insignit Dn. D. SCHERZERUS in *Exhibitione The-*
sium Anti-Syncretistic,) in *Isagog. ad SS. Theol. 1. 2. sect. 2. art. 1. c. 1.*
p. 72. seqq. Suffragatur quoq; JO. DRUSIUS, Vir ob excultam Phi-
 lologiam Orientalem per totum orbem celeberrimus, in Li-
 bello de quæsitis per Epistol. (Epist. 99.) *Sacris literis, inquiēs, in-*
telligendis & enarrandis non tam piscibus aqua, quam Theologis ne-
cessaria est Lingvæ Sanctæ cognitio, sine quâ nunquam est, ut solidam
peritiam earum literarum consequantur, &c. Quid olim hac de re
 senserint venerabiles Patres, videri poterit ex Epistola, quam ad
 Heinricum Bovillum dedit Augustissimus AUGUSTINUS, cujus
 verba sunt ista: *Indignum se judicant ad istas grammaticorum mi-*
nutias descendere, quasi verò laudi vertendum sit Theologo, si gram-
maticam nesciat! non facit Theologum sola grammatices cognitio: at
multò min⁹ Theologum facit ignorata grammatica. Certè conducit
ad Theologie cognitionem hujus discipline peritia, officit imperitia.
 Unde Divus HIERONYMUS, cum constituisset arcanas inter-
 pretari literas, ne illotis, ut ajunt, manibus rem tantam aggre-
 deretur, inæstimabili sudore Lingvarum peritiam sibi compa-
 ravit; quas qui ignorat, non Theologus est, sed sacræ Theolo-
 giæ violator, ac verè manibus illotis rem omnium maximè sa-
 cram, non tractat, sed profanat, conspurcat, violat; rectè
 helluo iste Librorum. Desiderius quem Roterodamum nobis

in aureis suis Adagiis. Et quemadmodum de Hispaniarum Regis diplomate nemo rectè judicare poterit, qui linguæ illius ignarus & expers; ita multò minùs hic quispiam, nisi imbutus prius cognitione Sanctissimarum Lingvarum. Inscitiæ fructum desideramus? statim is ob oculos versatur, cum illa tempora cogitamus, quæ nobis Pipiones, Jaotones, Jodiodones, Jabaionesq; istos pepererint, de quibus *Hieronymus, Epiphanius, Cornelius à Lapide, Genebrardus & alii*. Addimus ista tempora cum pii Patres Hebraicarum Græcarumque literarum ignari cum Arianis certamina olim habuerint, in dandis responsionibus anxie sese torquentes, uti *Epiphanius* hæc refert *haeres. 69*. Contra verò insigniter gaudere possumus de felicitate nostræ ætatis, & illius accuratam industriam in his deprædicare, quæ divinas istas Linguas non solum amat, colit, sed & excolit, simulque examinat. Videmus fructum, non levem sanè, sed ponderosum, dum sese Triumphatricem & debellatricem Adversariorum ad invidiam usque reverà demonstrat; Osiores verò harum & ignoratores terga dantes prostratos, risum provocantes seque minus hisce armatos esse ipsosmet fatentes aspicimus, uti infaustum istum **FAUSTUM** in *Respons. ad Defens. Franc. Puccii*, se Græcos fontes leviter admodum degustasse, Hebræos vix dum attigisse; de quo supra jam quidem, sed nunquam satis laudatus **DN. D. CALOVIUS**, Patronus ac Præceptor noster loco Patris de venerandus *Consid. Theol. Socin. p. m. 42*.

Quem autem ad Sanctissimarum Linguarum studium hætenus dicta non moveant? quem non incendant? quem non inflamment? Et si nulla alia ratio ita valida ita ponderosa & prægnans esse videretur, ut animos nostros ad istud impellere posset, sola tamen æmulatio nos impellere deberet. Æmulatio enim est, quæ alit ingenia & firmiores in literis profectus, ut **FABIUS** loquitur. Ad æmulationem nos excitent non tantum gravissimi **THEOLOGI**, sed & **JURISCONSULTI**, qui hoc S. Labiū amârunt, coluerunt, dissuviârunt, & quidem non tantum in juventute suâ & vegetâ ætate, sed etiam per omnes vitæ dies, & (eorum nonnulli) jam alterum pedem in sepulchro habentes. Ex **JCtis** nominamus **DN. D. JOANNEM REUCHLINUM**, *Comitem Palatinum Cæs. nec non Sanctissimarum Literarum in hac*
nostra

nostra Academia Professore Publicum & quidem Primum; postea
 vero Maximiliani Imperatoris ac Eberhardi I. Ducis Württenber-
 gensis Consiliarium, totiusq; Sueviae Triumvirum. JO. ALBERTUM
 WIDMANSTADIUM, Ferdinandi in Austria Orientali Cancel-
 larium, CONRAD. HERESBACHIUM, Ducis Juliacensis Consilia-
 rium, THESEUM AMBROSIUM, GUIDONEM FABRITIUM
 BODERIANUM, JOANNEM MERCERUM, ANDR. MASI-
 UM, HUG. GROTIUM, PETR. CUNÆUM, J. SELDENUM,
 & JOB. LUDOLFUM, quorum doctissimæ lucubrationes in pu-
 blicum extant. Quod igitur illi sexcentis curarum ac gravissi-
 marum occupationum retibus implicati potuerunt, nobis in pin-
 gui, & ut Cicero alicubi ait, in Græco otio degentibus, atque in
 floridâ ætate adhuc constitutis negabitur? Ad æmulationem
 nos excitent & alii magni PHILOLOGI, qui tanto labore ac
 industriâ in Orientalium Lingvarum studio desudarunt, inque
 his ita excelluerunt, ut vel hujus solius nomine Doctorum omni-
 um meruerint suffragia. JOANNE enim BUXTORFIO
 quid doctius & Ebræâ supellectile instructius? Cujus Filius eti-
 am cognominis, Vir indefessi laboris, bone Deus! qualis &
 quantus fuit? Quid ille rerum Ebræarum non evoluit, excus-
 sit, penetravit? ut vel ad nomina librorum, eorumque enco-
 mia recensenda, libro penè sit opus. Victurum unquam spera-
 mus, qui melius de sacro hoc studio mereri & strenuè magis ha-
 rum Literarum gloriam turari queat? Ita sacrarium quoddam
 hujus Linguae mihi esse videtur, & scientiæ exoticæ quoddam
 pelagus. Quales quoque fuere Viri illi æternâ memoriâ dignis-
 simi: PAGNINUS, VATABLUS, MUNSTERUS, ARIAS MON-
 TANUS, FORTERUS, AVENARIUS, SCHINDLERUS, DRU-
 SIUS, SIXT. AMAMA, ERPENIUS, SCHICKARDUS, TRO-
 STIUS, HACKSPANIUS, CRINESIUS, HOTTINGERUS, & a-
 llii plurimi. Sed hîc enumerare omnes, eorumque laudes ef-
 ferre, & multitudo prohibet & vires nostræ deficient. Non pos-
 sumus tamen silentio involvere Venerandum Academiæ no-
 stræ Seniore, DN. ANDREAM SENNERTUM, adhuc in-
 defessum Lingvarum Orientalium illustratorem ac Professore
 Publicum, Cæterosque nostros Præceptores in aliis Academiis,
 aliisque Germaniæ Locis celeberrimis, Orientales has Literas fe-
 licis.

vicissimè hodiè propagantes : Dn. D. SEBAST. SCHMIDIUM, AUG. VARENIUM, JO. ADAM. SCHERZERUM, BALTH. SCHEIDIUM, MATTH. WASMUTH, ESDR. EDZARDUM, JO. BEN. CARPZOVIVM, JO. FRISCHMUTH, AUG. PFEIFFER, MICH. LIEBENTANTZ : Quibus omnibus quantas agere debeamus gratias, facile quisque concludet, qui intelligit, quãtas in Linguis Orientalibus Excellentissimi hi Viri navarunt operas. Nec non Summum studiorũ nostrorũ Patronum ac Promotorem Opt. Max. DN. D. MARTINUM GEIERUM, quem ultimum in scenam produco, quod tanquam aquila in nubibus & Orbis literati Imperator, ac Eruditionis Princeps, reliquis palmam præripere videatur, ita in Ebræis ad stuporem, immò, ad miraculum doctus. Et singuli hi ac universi, quid subitè mirari, si tam feliciter, tam solidè, tam eruditè Scripturam enodaverint? si Spiritus Sancti mentem, si Prophetarum stylum, si phrasin tanta judicii *ἀκρίβεια* sint interpretati? eòque Patribus ipsis longè hac in parte præferendi, qui Lingvæ Ebrææ peritiã destituti (Hieronymum hinc trilingvem, & Epiphanium *πρωτάγλωσσον* excipio) solæcismis haud levibus in sacrarum litterarum explicatione commissis, in errores se & alios dedere. In quos incidere & omnes eos necesse est, quos supina ignavia, & superbum Lingvæ fastidium sacro hoc studio prohibet: ut quisvis ignorare malint, quàm huic discendæ horulas aliquot elargiri, atque intermorientes literas refovere. Ad æmulationem quoque nos excitet exemplum & industria Illustrissimæ doctissimæq; Virginis, Dominae HENRIETTÆ CATHARINÆ FRISIÆ, Caroli L.B. à Friesen natum majoris Filia, quam Lingg. Orientalium non solum Mæcenatem, sed & iisdem insigniter imbutam novimus. Admirabilem hanc Baronissam faciunt crebra Doctorum elogia, quæ Ipsi tribuunt. Vocarunt n. Eam, & quidem jure meritissimo, vivam omnium Musarũ ac Gratiarũ imaginem, non Lingvæ modò Sanctæ perindè ut aliarum Orientalium peritam, inque omni humaniori literaturâ cultam, sed de exasciatis quoque doctissimorum quorumcunque laboribus in hoc studiorum genere exantlatis eruditè sapienter.

terque judicantem. Vide *ἡ βεβαιότητα* Dn. L. Carpyovii, *Prægramma publicum invitatorium ad Orat. Ebr.* Et magnus noster Scherzerus, laudatissimæ hujus Virginis eruditionem admirandam, ac in primis exactissimam Sanctæ Linguae peritiam, quam Ipso Doctore addidicerat, commendat, Eandemque tanquam sedulæ imitationis exemplum nobis proponit. Cum clarissima hac Baronissa conferri posset Virgo illa Batava, ANNA MARIA à SCHURMAN, quæ, teste *Salmasio in præfat. ad Miscell. desin.* tot doctrinarum dotibus instructa fuerit, ut nescias in quâ magis antistat. Inde in Bibliorh. illustr. fœmin. quæ scriptis claruerant Ludovici Jacobi à Sancto Carolo Cabilonenfis Carmelitæ hæc de ipsa habentur verba: *Versatissima est in Lingua Ebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Turcica, Græca, Latina, Gallica, Anglica, Italica, Hispanica, Germanica, Belgica & Batavica, ores miranda! etiam in omnigena literaturæ studio celeberrima.* Nec pigebit referre JULIANAM MORELLAM Barchinonensem, Virginem Hispanam, tribus illis maxime insignibus linguis, Latina, Græca & Ebræa, earumque characteribus, sicuti Hispanicis, Gallicis & Italicis scitè pingendis, musicisque instrumentis exercitam; & ALOYSIAM SIGÆAM Virginem Toletanam, quinque Linguarum adeò peritam, ut non immeritò Paulus III. Pontif. literas illius ad se scriptas videns Latine, Græcè, Ebraicè, Syriacè & Arabicè, admiratus fuerit in tenella hac & mustea virgine tam multiplicem ingenii fructum, in Viris etiam rarum, *testante id Ludovico Nonio in Hispania c. 59.* Ut taceam alias Eruditas Virgines ac Fœminas, quæ Sanctissimarum Linguarum cognitione amussitatâ olim claruerunt. Nonne celebris ista Fœmina PAULA dicta Romana, præter Latinam, Græcam etiam & Ebræam adeò scitè percaluit, ut Ebraicos Psalmos vel ad colum modularetur? Quin & BLÆSILLA Paulæ istius filia paucis diebus difficultates Linguae Sanctæ superavit, adeò, ut in discendis canendisque Ebraicis Psalmis cum matre contendere posset. Quod si igitur Matronæ & puellæ isto difficili ævo hoc præstare potuerunt, quam tandem *ἡ βεβαιότητα* aut obtentum nostræ inertix quæremus atque socordix, qui in doctissimo hoc ævo vivimus, ubi cum liberalibus artibus Linguae etiam passim effloruerunt?

Absit ergò ut negligamus harum Literarum Studium !
Semper potius verborum Magni CHEMNITII memores :
Et amandam & magnificendam esse Grammaticam enarratione voca-
bulorum, quorum usus est in precipuis locis doctrine coelestis. Ecclesia
enim interpretatione sua non gignit nova dogmata, sed quae tradita &
patefacta sunt voce divina, seruat, discit & accipit. Sicut autem
res ipse in Scriptura patefactae sunt voce divina, in Verbo : ita eadem
rectè intelligi non possunt, nisi ex vera & genuina significatione ver-
borum ; quibus Spiritus S. usus est in tradenda doctrina coelesti. Nec
igitur hic de bello (ut vocant) Grammaticali, sed in precipuis locis do-
ctrinae, quantum erratur in verbis, tantum etiam de rebus ipsis amie-
titur. Et precipue in hoc Loco illustre est exemplum. Amissa enim ve-
ra Grammatica, statim extincta est lux purioris doctrine ; & cum
nostro tempore restitueretur vera Grammatica enarratio vocabulo-
rum in hoc Loco, rursus restituta est puritas doctrine. Nec possumus
custodes esse doctrine huius Loci divinitus repurgatae, nisi Grammati-
cam discamus & amemus. Et aliquantò postea : Et non dubium est,
si rursus neglecta vel amissa fuerit grammatica in his vocabulis, fore,
ut lex doctrine, licet manifestissima, iterum obscuretur & extingua-
tur. Hæc beatus Theologus, in Loc. de Justificat. cap. 3. p. 246.
Quæ vel ferreum pectus permulcere atque allicere ad ista studia
possint. Ad nos quidem quod attinet, ac nostram istam tra-
ctationem, non alius generis ei fecimus argumentum, quam
quod in Grammaticalibus rebus occupatum esset. Quamvis e-
nim multa fuerint, ac graviora etiam, de quibus differeremus
non invitâ fortassis Minervâ : tamen placuit hoc quidem tempore
potissimum de Controversiis istiusmodi instituere sermonem,
quarum enodatio, neque inutilis esset, ut ego opinor, & lucis
non nihil quibusdam S. Scripturae Locis fortasse afferret. Ac il-
lud quidem agendum precipue ac enitendum, ut, quicquid su-
sciperis in studiis Linguarum, id omne Sacris Fontibus appri-
mè inserviat intelligendis rectè & explicandis. Nam nec Ad-
versariis ipsis Pontificiis quicquam observamus accidere odio-
sus, quam ubi ad Grammaticas enarrationes revocantur. Cujus
rei exempla in aperto sunt : nec adducenda à nobis, quibus in
rem ipsam potius nunc veniendum est.

CONTROVERSIARUM PRIMA.

De Voce כַּתְּרִי Ps. XXII. 17.

An à Masorethis sit corrupta?

Non tantummodo Pontificii corruptionem Scripturæ S. minantes, hanc voculam nostris Theologis à corruptelâ liberandam obtrudunt; sed ipsi inter se dissident Lutherani, quando tutelam ejus diversimodè suscipiunt. Unde tam inextricabiles nodos videtur hæc ipsa habere quæstio, ut rectè vocetur CRUX THEOLOGORUM in quâ exonerandâ plurimi desudarint anxie. Ita Magnus WALTERUS noster חַיִּי Vir, de quo meritò dicimus illud Rabb. כַּתְּרִי in Harm. Scr. § 166. p. m. 275. Quod Pontificios spectat, non desunt illis quæ corruptionem vocabuli notent argumenta. Disperscemus ea breviter hoc ordine. I. à Novorum exemplarium cum Vetusioribus collatione. Ita enim necunt: Ubi est facta mutatio, ibi est corruptio. Atqui hinc facta est mutatio. E. Major patet. Nam si facta est mutatio; necessario succedit aut correctio aut corruptio. Si prius; sequeretur Scripturam S. vel antè fuisse corruptam quod Lutherani omninò non concedent, vel non fuisse ejus perfectitudinis post ipsam quam accepit emendationem; id quod tamen salvâ fide nemo dicet. Sin posterius; res plana erit, nec non concessa. Minor ita patet. GENEBRARDUS in h. Ps. Judæorû testimoniis notat, cum ANDRARIO, PAGNINO, VATABLO, MOLLERO; optima & antiquissima Exēplaria habuisse כַּתְּרִי Id quod confirmatur testimonio B. DN. D. GERHARDI, Theologi quondam laboriosissimi ac planè incomparabilis; is in suâ Jenensi Academia Codicem testatur manuscriptum inveniri, qui legat כַּתְּרִי Exeg. Tom. I. Loc. de Scr. S. §. 350. Accedunt aliorum auctoritates, ut MOYSIS HADARSCHAN, qui teste & citante GALATINO expresse affirmat scribas ita correxisse & mutasse in כַּתְּרִי Biblia itē Complutensia Ao. 1520. edita legunt כַּתְּרִי Cur ergò opus erat illâ correctione. Vid. Galat. lib. 8. c. 17. & Job. Isaac. l. 2. cont. Lind. B. Meisnerus Disp. 36. de Scr. S. th. 26.

Argumēta Pontificiorū pro suâ sententiâ, quod vox hæc sit corrupta.

Α α

Cono

Confirmatur hoc ipsum firmissimè interpretatione AQVILÆ,
Viri sanè exquisitâ peritiâ, & singulari industriâ Celeberrimi,
(magni nominis Vir est apud Hieronymum *Comm. in c. 49. Es.*)
reddidit ille per verbum pluralis numeri ἄρξυται, quod sanè nō
fecisset, si legisset כָּאֲרִי. Nam acerrimus erat ille & adamantin9
Judæorum propugnator, adeoque Christianis infensus. Quid
ergò non arripuisset libentius & ambabus manibus illud כָּאֲרִי?
quippe tutius & facilius tunc de CHRISTO Psalmum non agere
probare potuisset. Sed videbat sensum obstare, & exemplaria
correctissima & purissima. FULLERUS *lib. 3. Misc. Sacr. c. 12.*

II. à non necessario. Ubi non opus erat & necessarium cor-
rigere textum, & tamen fuit facta mutatio, ibi facta est corru-
ptio; Atqui necessitas nulla Scriptores hic impulit, cum melior
& perfectior sit sensus, vocabulo reservato כָּאֲרִי, quam est אֲרִי
כָּאֲרִי. E. III. à sensus discrepantiâ. Si vox illa כָּאֲרִי tanquam in-
corrupta debet haberi, nonne sequeretur sensum inde nullum
deduci posse? tunc enim significaret *sicut Leo. Jam v. nemo Chri-*
stianorum ita statuit explicandam esse, cum (1.) obstat Versio
LXX. qui reddunt per ἄρξυται quod cum כָּאֲרִי foderunt coincidit.
(2.) Versio Chaldaica, quâ Indi & Æthiopes utuntur; Vulnerave-
runt vel foderunt manus meas. Hieronymus reddit fixerunt. (3.) ni-
hil sit dicere: sicut Leo manus meas, & pedes meos. Quis sensus?
Ergò כָּאֲרִי non debet legi & per consequens est vox corrupta.
Imò perspectius absurditatem dabimus hoc disjunctivo: Aut
nomen est vox כָּאֲרִי aut verbum. Si verbum. Oppono *Primo*
Grammatica analyseos impossibilitatem. Ubi cunq; non potest dari
Grammatica ratio, ibi facta est corruptio, quando scil. Maso-
retharum non accedit observatio. Sed hic nulla potest dari
1. detur ratio cur אֲרִי inseratur cum radix sit כָּאֲרִי atq; id contra
CL. TROSTIUM *p. 45. Gram.* 2 Cur (1) mutetur in (אֲרִי) non est
quod dicas literas אֲרִי כָּאֲרִי facile inter se permutari; si n. hoc pro-
cederet, possem eâdem ratione voculam כָּאֲרִי quam *Es. c. 38. v.*
13. habet explicare ut verbum, quod tamen absonum. Objicis
deinde, si esset Nomen, sub literâ אֲ non staret (אֲ) unde expres-
e deducitur esse Verbum. Quæro igitur cur habeat ita *Es. 38.*
3. Si ibi est אֲ Emphaticum extrusum, quid obstat, quo minus &
hic

hic valeret? Sequitur igitur si non esset corruptum hec vocabu-
lum non posse aliter explicari, quam ut nomen cum præfixâ
particulâ similitudinis. Secundo oppono *Chaldaeam Paraphra-*
sin quæ habet: *mordent ad instar Leonis* certè id nõ apposuisse,
nisi talem sensum ex ipso vocabulo eruissent. Si nomen est, se-
quitur quod volo, nimirum sensum planè nullum ex textu col-
ligi ac proinde corruptionem quandam esse permittendam.
IV. à punctorum in diversis exemplaribus diversitate, ubi quid sit
amplectendum, quid v. non. hæsitamus. In aliquibus enim exem-
plaribus, ut antea monuimus, legitur כָּרַר in aliis כָּרַר in
Bibliis Regiis (?) dageffatum est, in nonnullis tandem Exem-
plaribus sub literâ ד est (-) Imò ipsi *Lutherani* in punctorum
substratione & collocatione dissentiunt, quamvis illa Lingvæ
Sanctæ essentialia טוֹרָה esse volunt. B. D. GESNERUS in
Comm. super b. Ps. puncta substituit plurali numero competen-
tia; & legit כָּרַר quasi constructum poneretur pro absoluto
כָּרַר, vult verò vocem oriri vel à כָּר inusitato, vel à כָּר,
vel à כָּר ut sensus talis resultet: *Cæterq; malignantium circumdederunt*
me perforantium manus meas & pedes meos. Ubi autem du-
bium remanet de punctorum substratione, qualis esse debeat,
ibi nullus certitudini est locus, nec nostrum erit hic pro aris &
focis pugnare vocem ab omnimodâ tuendo corruptelâ. V. à
Lutheranorum nonnullorum Confessione. Försterus in *Lex. Ebrai-*
co ita habet: *Verisimilius est malitiâ Judæorum hoc depravatum*
esse, ne confiteri cogantur hanc Prophetiam in Christo esse impletam.
Vid. Rad. כָּר, quod ipsum repetit in Radice כָּר. D. HUN-
NIUS in *Examine Bellarmini* idem habet, citante D. WAL-
THERO l. d. atque hæc præcipua Pontificiorum tela, quæ vi-
deantur apud HUNTLÆUM c. 10. §. 1. seqq. & *Bellarminum lib. 2.*
de V. D. cap. 2. Galatinum lib. 1. c. 8. & alios. Speciem præ se fe-
runt recti, de quæ pilâ glorientur obtentâ, miserrimi fortunæ
suz moderators.

Nos antequam hisce satisfaciamus diversa Nostrorum *Diverse*
Theologorum enarrabimus Judicia. (1) Sunt qui corruptio- *sententiæ*
nem Judæorum, quod dictum, admittunt, id quod non diffite- *nostrorum*
mur, verum num inde quod intendunt Pontificii arripuerint, *Theologo-*
hoc *rum.*

hoc est de quo valdè dubitamus. Posset interim verisimilis hæc videri opinio, ob testimonia primo argumento Pontificiorum allegata, pro diversâ exemplarium lectione, & ob Grammaticæ solutionis non difficultatem, sed planè inconvenientiam, sensusque discrepantiam. Sedenim verò, statim manus dabunt perponderaturi intentius, quæ in ultimâ sententiâ enucleabuntur. (2) Nonnulli usitatam Ebrææ Lingvæ agnoscen-tes Ellipsin (præsertim in quærelis ut Ps. 120, 7.) eandem huic etiam ascribunt loco, contendentes vocem כָּנָרִי sensu isto, quod significet *sicut Leo*, retinendam, subaudiendum autè verbum esse כָּנָרִי *foderunt*: ut sensus sit: *Sicut Leo foderunt pedes & manus &c.* vel simile verbum posse substitui. Moventur notatione Masoræ in margine; qui duo in gemino significato esse apposuit i. e. geminam significationem habere, & *sicut Leo*, & verbum subintellectum *perfoderunt*. Item urgent Chaldaicam Paraphrasin, quæ habet *perfoderunt, momorderunt sic velut Leo manus meas & pedes meos*. Subscribunt a. huic sententiæ AUGUSTINUS Episcopus Nebiensis in Psalterio suo quinque lingvi. & POLANUS in Syntagmate. (3) Propugnant quidam compositionem vocabuli ex כָּנָרִי & כָּנָרִי *fodit, Leo*. ut AVENARIUS è Thargumica tralatione. Sed falsò! Ut enim non dicam, quod compositiones vix concedi possunt in Lingvâ Sanctâ; id tantù urgeo, quod nemine sano contradicente Ebræo litera כ non possit simul notam dicere similitudinis ac primam radicem verbi כָּנָרִי. (4.) Alii putarunt vocem כָּנָרִי significare id, quod Es. 38. & cum præcedentibus ita connectendam esse, ut אָשׁוּבָה & כָּנָרִי ex membro præcedente repetatur verbum כָּנָרִי quod non ab inusitato כָּנָרִי sed כָּנָרִי excidit, *perfodit* derivatur, ut sensus ebulliat talis; *Circumdederunt me canes, congregatio malignantium perfoderunt seu transfixerunt me, sicut Leo* (scil. transfixerunt me) *manus meas & pedes meos*. Plausibilis sanè sententia esset, cum Ellipses ex præcedenti versu complere Scripturam non semel notatum fuerit; (ut e. g. (Ps. 45, 4.) sed obstat Masoræ autoritas, & omnium ferè diversa sententia, quibus contra niti nobis religio est. (5.) Sententiam D. GESNERI supra visam quod spe-

spectat ut vel tribus examinemus, nititur illa falsâ hypothesi,
 quæ si puncta non sint essentialia Lingvæ Ebrææ elementa, atq;
 abs hominibus modo inventa, proq; lubitu subscripta, quod ut
 alibi refutatum est sufficienter, ita quoque non fert ratio nostri
 instituti ut pluribus id refutemus Vid. *Glass. in append. Gramm.*
Instit. Ebr. p. 146. & ap. D. Waltherum in append. Gram. Ebr. cap. 3.
de punctatura; in Partitionib. Codic. Ebr. Fabritii cap. 2. & c. Non
 potest præterea defendi analogia Grammatica, cum si esset
 participium אֲכַרָה legendum foret כָּרָה si אֲכַרָה Benoni habe-
 ret כָּרָה (B. V. Waltherus hoc argumento utitur contra D. Ges-
 nerum in *Harm. Sacr. S. p. m. 282.* potest tamen conferri *an-*
not. 2. ad partic. B. Trostii p. 29.) Omnes antiquæ tandem contra-
 dicunt pariter ac recentiores omnium Versiones & autoritas
 Masoræ. (6.) Est qui mysterium voculæ attribuit, & Spiritum
 Sanctum studiosè literas כָּרָה pro כָּרָה per Prophetam scripsis-
 se putat, ut tacitè annus ab illa prophetiâ præcisus indicetur &
 præfiniatur, quo Christus pati crucisq; supplicio deberet sub-
 jici. Cum enim anno ab illâ prophetiâ 1230. Christus pro mun-
 do passus fuerit, atque ex harum literarum (N quæ millenarium
 numerum importat, 7 ducenta significat 2 viginti decē) sup-
 putatione talis numerus oriatur, ideò legi debere כָּרָה pro-
 pter mysterium, quod redolet, sed intelligi כָּרָה propter sen-
 sum atque resolutionem Grammaticam. Piam hanc meritò
 laudamus meditationem BERNHARDI ZIEGLERI Theol.
 D. & Ling. Sanctæ olim Prof. Lips. Sed veremur ut Pontificii
 sibi satisfactum reclamitent: Non tamen esset de nihilo si com-
 putatio præcisè, quod dubitamus, incideret; istiusmodi nam-
 que mysteria, quando ab hominibus inveniuntur ad amissim
 quadrare debent in omnibus. (7.) Non nemo de N ita discur-
 rit, quod illa litera in exemplaribus non punctatis post syllabâ
 simplicem, sive literam longâ vocali notatam usitatisimè adje-
 cta fuerit literæ 2 ne nimirum legentium ingenium perturbe-
 tur, difficultate lectionis, sicut etiam 7 & 7 adscripsisse Veteres
 putant & proinde matres lectiones illas vocitarunt. Quamvis
 a. hæc nobis non arrideat explicatio, attamen non videmus cur
 B illa

illa punctorum inventionem humanam præsupponat, ut D.
 GLASSIUS infert: Cuius enim cordato Viro judicare damus,
 annon concessâ punctorum coarctate, stare possit hæc senten-
 tia, si in expedito est, ut sanè est, Judæos olim & hodieq; Biblia
 Sacra sine punctis legisse, & sic difficultatem quoq; legentibus
 removere conatos fuisse? (8.) Tandem ex uno quasi ore mo-
 derni Theologi Ebraei pronunciant amplectendam esse tanquã
 verissimam Judæisq;e pariter & Pontificiis omni ex parte pal-
 mam præripientem illam sententiam, quæ vult Radicem hujus
 verbi כָּרַךְ esse, atq; tertiam pers. pl. n. præter. Kal. regulariter
 quidem habere כָּרַךְ verum deflectere hoc verbum instar aliarum
 vocum à regulâ, & anomaliam admittere. (1) N per Epêthesin inser-
 tum esse sicut in כָּרַךְ exaltabitur. Zach. 14. v. 10. (2) pro ו in fine po-
 situm esse & cum litera ווהוּ facile inter se permutentur. Efr. 10.
 v. ult. ווהוּ pro ווהוּ acceperunt, Vid. Avenar. lib. 3. Gram. p.
 585. Marcum Marinum Brixianum in Arcâ Noë fol. 332. cap. 4.
 illam literam non & sed & diminutum vocare & innui clavorum
 stigmata hariolari annotat Walth. & Glass. loc. cit. undè in Codi-
 cibus Regiis cû & punctate scribitur, quasi esset Jod Schureck loco
 Vau Schureck positum, ubi & alibi legitur Jer. 50, 11. (9) si Radix
 est אָרַךְ valet Regula quod lit. ווהוּ facile alternent & N lo-
 co ו positum fuerit, quæ sententia est CL. Trostii Gram. p. 45. At-
 que huic sententiæ merito subscribimus, clareque patet verbum
 כָּרַךְ nec esse corruptum, ut Pontificii volunt, nec sensui ob-
 stare, nec Grammaticæ contrariari. Sensum quidem & signifi-
 cationem talem esse debere, patet ex plurimis documentis: ut
 in genere ex Masorâ, tum parvâ, ad Ps. XXI. 17. tum magnâ
 finali in p. 2. lit. N fol. 1. col. 3. Vid. Glass. Phil. Sacr. lib. 1. p. 112.
 seq. In specie ex scopo Psalmi; confer. Jos. XIX. 18. & c. XX, 25. 27.
 item ex loco parallelo Zach. XII. 10. videbunt quem transfixerunt,
 quem locum Johannes ad Christum applicat Luc. XIX. 37. item
 ex Versionum antiquissimarum fide &c. Non abs re erit sen-
 tentiam B. nostri Megalandri LUTHERI ipsius verbis huc re-
 ferre qui ita scribit Comm. in h. l. Tom. 2. Lat. Jenens. f. 252. edit.
 Anno 52. Nobis, qui in CHRISTUM credimus, & hunc Psalmum
 totum

Approba-
 sur hæc
 sententia.

totum de Christo dictum auctoritate Evangelicâ tenemus facile est probare legendum *foderunt*, non *sicut Leo*. Nos enim non rem gestam è Scripturarum mysteriis, sed Scripturarum mysteria è re gestâ, h. e. Veterem Scripturam Evangelio illustramus, & non è contra, & illius sensum hujus sensu comparamus & in CHRISTUM ceu duos Cherubim in propitiatorium spectare facimus. Sicut dicit *Jer. XXIII. in novissimis intelligetis consilium ejus, & ad Moysen posteriora mea videbis*. Cum ergò certum habeamus, CHRISTI manus & pedes esse perfossos in cruce, nec minus certum, hunc Psalmum in CHRISTUM quadrare, tum sensus mirè consentiat, ac omninò exigat, *foderunt* legendum esse, præsertim cum nullus etiam Grammaticè rigor huic resistat, absq; contentione & cunctatione legimus *foderunt*. Hæc magnanimus ille Angelus secundus Apocalypiticus. Vide ibi plura in hanc rem. Ac proindè rejicimus omnes supra recensitas sententias, quas singulatim suo loco refutamus, exceptâ secundâ, quæ tamen ex allatis rationibus & auctoritatibus eâ facilitate rejicitur quâ recensetur.

Congrediamur nunc tandè cum Pontificiis, visuri Bono cum DEO, planè elumbes ipsorum esse ratiunculas, & quam non nisi verbis causam suam adornent, cæterum injustam, & cujusvis cordati sapientisqve Viri calculo rejectam. *Primum* igitur *Argumentum* quod intendit non assequitur. Concesso namque, diversimodè diversa exemplaria legere, non statim sequitur, fontes corruptos esse, cum ex probatis exemplaribus, vera & genuina lectio restitui possit, ac particularis illa in quibusdam duntaxat Codicibus corruptio, nostræ sententiæ non præjudicaret. AQVILÆ Versionem quod spectat, non probat illa tū temporis legi consuevisse כָּאֵרֶי, sed inde nos potius inferim⁹, nec ipsi fuisse absurdum statuere כָּאֵרֶי esse Verbum, & Grammaticè salvari posse; Ergò, quamdiu Adversarius non demonstraverit oculariter, suo tempore legisse ipsum כָּאֵרֶי nihil obtinebit. Non sanè cum maximæ auctoritatis, & raræ fuerit eruditionis, adeoq; Hieronymi dignus Elogio, in favorem Judæorum scripsisset Aquila. Veritatem indagare, veritatisque so-

*Resolutio
Argumentorū
Pontificiorum*

li favere, id est laudati, Viri. Videt ille etiam, si legeretur
כִּנְיָ, non posse Judæis quicquam contra Christianos patro-
cini venire, ex rationibus superius adductis. Unde suâ mole
jam ruit statim *alterum Argumentum*, quod egregiè principium
petit; probent ante, quam pergunt argumentari, fuisse factam
correctionem; nos enim quamvis Masora annotarit, intelli-
gendum esse כִּנְיָ statim tamen non damus correctionem fa-
ctam esse, sed fecisse Masoram id ipsum in gratiam legentium,
ne diu sese propter anomaliam macerent in sensus & originis
sivè constructionis Grammaticæ inquisitione, asseveramus.
Tertii Argumenti robur jam infractum dedimus, deducendo
superius, non posse non כִּנְיָ verbum esse. Quod si tamen ex
abundanti concederetur esse nomen, valeret illa sententia,
quæ vult antecedentis versus repeti verbum debere. Chaldæi
ita explicarunt gnari duplicis hujus vocis significationis, cumq;
simul utraq; h. l. bene stare possit, tanquam subordinatæ, & u-
na alteram ferè explicet conjunxerunt, ita tamen ut maneat
hoc loco verbum. Falsum præterea est, quod infertur posse hic
מֵמֶמֶח. extinctum esse atque sic ratione מֵמֶמֶח. sub r. rad. salvari
nomen. Apud Esaiam מֵמֶמֶח. suum habet usum: at vero &
illum demonstrant h. l. Scimus namq; individua מֵמֶמֶח.
nomenq; ad certum aliquod determinare subjectum, quod
sane de hoc Psalmo non pronuntiabit vel ille, qui Linguam
hanc vel extremis tantum digitis attigerit. Ad *Quartum* re-
spondemus (1) si in diversis Exemplaribus diversa sunt puncta,
corrigi unum ex altero ac verisimilius arripi poterit. (2.) O-
mnes punctationes salvari & ad unam Radicem redigi possunt
exceptâ illâ Gesneri, quæ nullibi invenitur, nec à nobis appro-
batur. Tandem *Quintum Argumentum* est valde lubricum, &
risu dignum; ipsi Theologi Lutherani dissentiunt, imò nobi-
scum corruptionem hujus loci agnoscunt. E. vox est corrupta,
E. Biblia sunt corrupta. Quæ ratio consequentiæ? Liceat &
mihi argumentari: Theologi Pontificii dissentiunt, multi quo-
que contra Pontificios nobiscum sentiunt. Bellarminus & Be-
anus se invicem sapius refutant. E. doctrina Pontificiorum est
libid. Concederesne hoc Papa sanctissime? Nos non libidi-
nem

nem aliorum sequimur, sed rationem. Porro, fatentur quidem nostri Theologi depravatam posse voculam hanc fuisse Judæorum invidiâ & malitiâ. Sed non inde fatentur Scripturam esse corruptam, ita ut seipsam explicare nequeat, & indigeat Papâ moderatore & Judice tanquam Vicario Christi, errare nescio. Absolum! Sed diverticulum fecimus hic in aliam alio loco decidendam Controversiam; Immemores illius sciti: *Ne Sutor ultra crepidam*. Liceat tamen ultra sic concludere, à concessio priori, (*vocabulum hoc corruptum esse*,) ad probationem sententiæ Pontificiæ (*Scripturam esse corruptam*) non valet consequentia.

CONTROVERSIA SECUNDA.

Quæ maximè cum Pontificiis nobis intercedit

de Pronom. אִתָּהּ Genes. III, 15.

An pro isto masculino pronomine substituendum sit fœmininum אִתָּהּ ?

PRæsupponimus cardinem disidii in hoc non verti: *An in corrupto & adulterino aliquo Exemplari pro masculino pronomine אִתָּהּ irrepserit fœmininum אִתָּהּ vel אִתָּהּ ?* nam etiam si hoc concederetur, tamen particularis aliquis codex vitiatus puritati totius Sacri Voluminis nihil præjudicare posset, cum etiam Logicus sciat, à particulari ad universale consequentiam non procedere. Neque in hoc: *An verba Mosis aliquarationis cerussâ obduci queant, & sic vulgata versio ex collatione aliorum locorum aliquò explanationis minio pingi & colorari possit?* Sed hoc sub disputationis incudem revocatur, *An Vulgata versio, quæ ita legit: Ipsa (subaudi B. Virgo) conderet caput serpentis &c. in veris sacri Codicis exemplaribus fundetur; & an eadem tanquam vera atq; authentica defensitari debeat?* Hæc est illa Helena, quæ de Pontifici debent certare! Hic est Rhodus ubi illis affirmantium vices subeuntibus saltare, ac firmas probationes producere incumbit! Nos expressè dicimus, ne ullum quidem vesti-

*Status eē-
troverſiæ
evolutio.*

vestigiam fœmininæ paraphraseos in textu authentico extare. BELLARMINUS quidem *Tom. 1. Controv. lib. 2. de V. D. cap. 12.* hunc quem formavimus statum controversiæ evertere videtur, quando præfatur: *Editionem Vulgatam variè habere, quia quidam Codices habeant Ipse, quidam Ipsa, & propterea non esse contrà eandem, si convincatur debere legi Ipse vel Ipsum.* Verùm Resp. 1. Bonus ille Vir incidit in scyllam, dum vult vitare charybdin. Etenim si, ut ipse fatetur, Vulgatæ versionis corpus tam insigni varietati est obnoxium, sequitur, quod non sit authenticum. Quomodo n. id, quod varium est, authenticum esse potest? viderit autem Bellarminus, ne fulmine Concilii Tridentini percutiatur, à quo Vulgata editio pro authentica agnoscitur. 2. Eò ipsò, quò lectionem, fœmininum pronomen in locum masculini surrogantem, amplectitur, nobis contradicit, siquidem nos non rejicimus veterem translationem, quatenus masculino utitur, & sic cum textu Hebr. convenientiam fovet; sed quatenus fermentò Papistico est polluta & fœmininum substituit, quod in fontibus non deprehenditur. 3. Si vera est lectio illa, quæ masculinū retinet, ut non solū Ipse, sed & Corn. à Lapide in cōm. super cap. 3. Gen. v. 15. fatetur, cur ab ea Jesuitæ faciunt secessum? cur tam operosè alteram, quæ masculinum tuetur, rejiciunt? 4. Non possunt non approbare hanc lectionem, cum editio à Sixto V. & Clemente IIX. ex Concilio Tridentino restituta & Romæ atq; Antverpiæ typis exscripta fœmininò genere, (*Ipsa*) legat. Verba igitur tantum sunt, quæ uti Jesuitis est probubium, quippè quibus res ipsa minimè respondet.

Nostrorū
argumen-
torū enu-
meratio,
eorundēq;
contrà
Adversa-
riorum
ϕλυαίας
confirma-
tio.

Constituto controversiæ statu jam altiori disputationis pelago me committam, ut falsitatis scopulos evadens, ad veritatis portum plenis velis & ventis appellere valeam. Produco a. in conspectum Adversariorum agmen aliquot argumentorum, quorum quædam (priora quatuor) sunt primaria, quædam (duo posteriora) saltem sunt secundaria. Primum sumo ab Exemplarium constantia: Codices Ebræos in hunc usq; diem constanter legere: &c $\text{יְהוָה נָתַן הַשֶּׁמֶשׁ$ solis radiis scriptū est adeò ut & ipsi Adversarii hoc fateri cogantur, Bellarminus *Tom. 1. controv. lib. 2. de V. D. cap. 12. p. 41. seq. Riberæ in Habacuc. c. 3.* *Pero.*

*Pererius in Daniele, Lindanus de optimo interpretandi gen. lib. 3. p. 126. seq. Corn. à Lapide in comm. c. 3. Gen. statim ab initio, nec non Canus, Andradius, Oleaster comm. in Gen. Pagninus, Arias Montanus &c. (quorum loca allegat WITAKERUS in disp. controv. 1. advers. Bellarm.) Imò ipsi Theologi Lovanienses in catalogo variarum lectionum, quem Benevolus Lector inveniet in apparatu ad Biblia Regia. Emergit ex dictis tale argumentum: Quæcumq; Versio sive Lectio adversatur omnibus codicibus textus authentici, illa nulli meretur applausum. Atqui Vulgata, quæ b.l. legit Ipsa, adversatur omnibus codicibus textus authent. E. nullum applausum meretur. Major extra omnem controversiæ aleam posita est. Minorem ipsi etiam Jesuitæ concedere coguntur. Malunt tamen aliquid contrà eam in medium afferre, quàm pati, planè silentium sibi imponi. I. Bellarminus loc. cit. sic procedit: Non est improbabile debere legi Ipsa. Neq; est hæc depravatio Papistarum, nam etiamsi multi codices Ebr. habeant \aleph tamen legi unum, in quo erat scriptum \aleph (Hi) Ipsa. Bellarmini tibiam fortius inflat MARINUS MARSENNUS, disputans contrà Sixtinum ab Amama (vide hujus *Anti-Barbarum Biblicum* lib. 2. pag. 322.) & audacter pronuncians Bellarminum asserere, se in vetustissimis Exemplaribus legisse *Hi* \aleph Resp. 1. Antea præsupposui me non probabiles rationes, sed firmas consequentias admissurum esse. 2. Depravationem Papistarum Bellarminus quidem non concedit, interim tamen eadem omnibus cordatis est obvia. 3. A particulari aliquo Codice corrupto ad universa Bibliorum volumina argumentari velle intolerabile est absurdum. 4. Bellarm. causæ suæ maculam suspicionis affricat, dum sic pede transit codicem illum, in quo fœmininum \aleph animadvertit. Aut enim aliquid autoritatis Ipsi subfuit, aut non. Si prius, cur illum non allegavit, ut res sua evaderet clarior? Si posterius, cur ad eundem provocavit? Aut non potuit illum nominare, aut noluit. Si noluit, res statim est suspecta. Si non potuit, cur ad eundem lectorem remisit? 5. At dicat aliquis neminem animi dubium esse debere, quin intellexerit editionem *Antuverpiensem interlinearem, Regiæ Bibliis anno 1572. additam,*
in qua*

in qua GUIDO FABRICIUS, autoritate Principis Mirandula-
 ni adductus curavit excudi **הוה**? Resp. Ita quidem est, sed quid,
 quæso, Bellarm. inde lucratur? nam (1.) illud ipsum exemplar
 est corruptum; (2.) non legit **הוה** sed **הוה** (3.) rejicitur ab illis,
 qui anno 1584. secundam divulgationem ejusdem codicis ador-
 narunt, & veram lectionem restituerunt. Hinc quoque ARI-
 AS MONTANUS facto illi calculum suum minimè subje-
 cit. 6 MARSENNUS in crimen audacia incurrit, dicens,
 Bellarminum de pluribus exemplaribus loqui, cui tamen de
 unico duntaxat codice & quidem corrupto sermo fuit. II. Si
 scriptura legatur absq; punctis Rabinicis, que non ita pridè adjecta
 sunt, potest **הוה** legi in fœminino: sæpè enim ponitur **הוה** pro **הוה**
 præsertim cum Emphasis est, & virile aliquid tribuitur. Exempla
 sunt hic vers. 12. & 20. cap. 17. Genes. v. 14. cap. 24. v. 44. cap. 38. v.
 21. & 25. Exod. 3. v. 8. Bellarm. l. cit. Huntlaus cap. 18. Epitom. con-
 trov. m. 1. & 2. p. 84. Cornelius à Lapide in comm. & Marsennus cõ-
 tra Sixtinum ab Amamapag. 332. qui posteriores duo ferè o-
 mnia, quæ habent, ex Huntlæo descripserunt. Resp. 1. De-
 nuò repeto, non sufficere hoc locò **הוה** posse, sed requiri **הוה** oportet.
 2. Totum argumenti corpus lubrico falsæ hypotheseos
 fulcro innititur, quâ nempe Jesuitæ sibi persuasum habent, pũ-
 cta Heb. esse recens inventum Rabinorum, hanc n. nos non ac-
 ceptamus. 3. Quàm elumbis sit hæc consequentia: Sæpè poni-
 tur **הוה** pro **הוה** E. & h. l. nemo non videt, qui cerebrum non
 in calcaneo gestat. 4. Exempla nobis objecta, sunt **אללוט עיא**:
 nam (1) pronomen in illis nunquam **vau schureck**, sed **chireck**
 habet (2.) multis diversitatis parasangis à nostro præsentì loco
 distant: Nam in illis semper vel præcedit, vel sequitur fœmi-
 ninum v. g. v. 12. cap. 3. **כי הוה האשה נתנה לי** v. 20. **הוה**
ונכרתו הנפש ההוה cap. 17. v. 14. **הוה** cap. 24. v. 44. **הוה** cap. 38. v. 21. **הוה**
 v. 25. **הוה** Exod. 3. v. 8. **הוה** Hoc
 locò autem præcedit masculinum **זרע** sequitur verbum mascu-
 linum **ישופך** nec non affixum relativum in eodem gene-

re

re תשניפני. Nihil ergò commercii habent cum nostro classico
 effato. 5. Sine ulla ratione Huntlaus & Cornelius mysterium
 in allegatis hiscè locis quarunt. Ex cujus enim mammillis
 exfluxerunt hoc principium, quod in jam attactis dictis aliquid
 mysterii subsit? Sic v. g. dictum Gen. 3 v. 12. הוּא כְּתָבָה לִי Hüt-
 laus ita exponit: *Ipsa h. e. Ipsissima (non alia) mihi dedit*, ita ut
 pronomen hîc non tam *Ipsam*, quàm *hanc Ipsam seu Ipsissimam*
 designet. Ast nullum profert assertionis suæ fundamentum.
 Quæ enim Adamum coëgisset necessitas, ut diceret: *Hæc ipsa*
mulier & non alia dedit mihi &c. cum tum temporis præter Evā
 nulla fœmina fuerit. Simile iudicium de cæteris est. III. *Hæc*
videtur vera esse lectio in Ebræo (quæ in fœminino: Ipsa legit)
nam est hîc Keri Vketiff i. e. alia lectio, alia scriptio. Licet n. in te-
xtu legatur הוּא i. e. ipsum, tamen de more in margine (uti habent e-
xemplaria correctiora) notatur vera lectio scil. legendum esse הוּא
i. e. Ipsa. Cornelius à Lapide in Comment. Marsennus, censura in
probl 55. Georgii Veneti. Resp. 1. crambem sæpius coctam iterum
 hîc apponi video. Non enim quæritur, quæ lectio videatur ve-
 ritatis speciem habere, sed quæ tanquam vera sit propugnan-
 da? 2. Ambabus manibus amplector, quod fatetur in textu oc-
 currere mascul הוּא, hoc enim mihi ansam argumentandi su-
 præ præbuit. 3. Quàm vellemus introspicere correctiora illa
 (si Diis placet) exemplaria quæ Cornelius à Lapide commen-
 dat. Sine dubio digitum intendit ad Biblia, Antvverpiæ edi-
 tioni aptata! Verùm neq; sic, mi Corneli, absurditatis labyrin-
 thum evitabis, nam (1.) ita non producis plura exemplaria, uti
 jactitas, sed unum (2.) illud ipsum, ut supra vidimus, non est le-
 gitimum, sed vitiatum (3.) à sociis tuæ fidei correctum & reje-
 ctum (4.) in textu habet quidem הוּא (quod Deo sic disponen-
 te pro הוּא positum est, ut scil. fraus jesuitica manifestetur) cum
 nota כתיב טע at in margine nullum קרי est collocatum.

Secundum argumentum mihi suggerit *optima verborum co-*
herentia. Nam quod hîc nullo modo fœmininum locum inveni-
 re possit, evincunt (1.) nomen præcedaneum masculinum ע

C

(2.) Ver-

(2.) Verbum subsequens **וְשֵׁנִי** quod est tertia persona masc. fut. 2. Kal. cum affixo **וְ** propter quod (וְ) penultima syllabæ in (וְ) transit. (3.) Pronomen truncatum masculinum in 2. pers. fut. 2. **וְשֵׁנִי** quæ ante affixum sortitur **וְ** dagestatum præmissio (וְ). Argumentum mihi hinc nascitur tale: *Quæcumq; lectio dicam scribit ipsi verborum cohesioni, illa nequaquam tolerari potest. Atqui lectio Vulgata talis est, ut luce meridianâ clarius apparet. E. Jam quid ad hæc Pontificii? Bellarminus regerit, non esse novum in Scriptura, ut cum nominibus foemininis conjungantur pronomina aut verba generis masculini sicut Ruth. 1. v. 8. Esth. 1. v. 20. Eccles. 12. 6. Huntlaus hæc approbat c. 18. ubi ad auctoritatẽ Pagnini l. 2. Gramm. Ebr. c. 3. & Junii l. 3. Gram. cap. 7. provocat, simul memb. 9. novum producens exemplum ex præced. 2. cap. Gen. v. 23. ubi foem. **וְשֵׁנִי** cum masc. **וְשֵׁנִי** construitur, quod etiam Cornelius à Lapide, eumq; secutus Marsennus pag. 358. *Antibarb. Bibl.* urget. Resp. 1. Si hoc Pontificiorum asyllum in gyrum syllogisticum redigatur, emergit hæc propositio Major: Quod in aliis locis Scripturæ contingit, illud etiam in præsentis nostri dicto fieri debet, cujus falsitatem qui non videret, talpâ cœcior esset, quod n. foemininum hinc subsistere nequeat, docetur à Paulo, qui disertis verbis semen illud ad Christum accommodat Gal. 3. v. 16. non vel ad Ecclesiã, ut Gordanus, vel ad Mariam ut alii volunt. 2. Bellarminus sui fædè est oblitus, nam lib. 1. de Christo c. 5. pag. 94. in hæc erumpit verba: *Si licet personarum mutationes sine causa fingere, nihil unquam certi ex divinis literis colligi poterit.* Quæ autem eum h. l. cogit necessitas, ut verba generis masculini foeminino respondere dicat? 3. Producta exempla maximam iterum cum nostro loco fovent discõvenientiam. In illis n. unicum saltem habetur masculinum; Ast hinc plura leguntur, ut supra audivimus. In illis de foeminis sermonem spargi nemo negat; Ast hinc de foemina agi, nulli veneratorum Patrum in mentem venisset, nisi pixide Pandora (Vulgatæ Versionis) fuissent decepti. In illis omnes versiones ad foeminas suum orationis complexum referunt; Ast hic Codices Ebrai, Chaldaei & Græci constanter masculinum repræsen-*

sentant, uti partim audivimus, partim etiam adhuc audiemus.
 4. In specie singula dicta adversariorum assumimus, ne insuf-
 ficientis responsionis notam nobis inurere possint. In cap. lib.
 1. Ruth. v. 8. fontes veritatis ita fluunt: **ועשה יהוה עמכם חסד**
ועמרי hic necessario ponitur
 pronomem masculinum **עשיתם** pro foeminino **עשיתן** vel per
 simplicem enallagen, vel honoris gratiâ, ut virtus foeminarum
 majori laudum encomiô evehatur, & sic aliquid virile ipsis as-
 signetur. Quemadmodum enim c. 33. *Exech. vers. 27.* idem ver-
 bum **עשיתן** foeminino agglutinatum, viris tribuitur ad vitu-
 perationem, quod tamen ibidem simul cum affixo conjungi-
 tur masculino; ita contrâ illud verbum in hoc dicto cum affixo
 masculino foeminis assignatur ad commendationem, cui tamê
 statim v. 5. (ubi sic loquitur: **והשק להן**) associatur foemininû.
 Nihil ergo hoc exemplum Jesuitas juvat non solum propter di-
 versitatis rationem antea datam; sed etiam propter probatio-
 nis defectum, similem n. enallagen in verbis Prot-Evangeli
 nunquam demonstrare possunt. 5. Loca ex c. 1. *Esth. v. 20.* & *Ec-
 cles. 12, 6.* deprompta uno eodemq; responsionis foedere concia-
 liari possunt. Nam ut illic foemin. **נשים** cum mascul. **יתנו** pro
תתנה; ita hic foem. **בנות** cum masc. **ישחו** pro **תשחנה** copula-
 tur. Nimirum hoc fit *Ἀναξίστως ἕνεκα* propter homonymiam
 istarum vocum quæ secundæ & tertiæ sunt personæ. Ne enim
 æquivocationi domicilium exstruatur, ideo non tantum hæc
 tertia persona plur. masc. sed & secunda aliquoties pro foemi-
 nina ponitur, v. g. *Fer. 49. v. 1.* **אלימנו תיר עלי תבטחו** *Exech.*
37. v. 7. **תקרבו עצמות**. Ab hujusmodi a. exemplis ad nostrum
 dictum Mosaicum argumentari velle nimis contortum est. Oc-
 curris, in nostro etiam dicto **ישופך** discriminis causâ positum
 esse pro **תשופך**. Respondeo: quò minus hoc fieri possit prono-
 men masculinum prohibet, prohibet affixum truncatum se-
 cundæ personæ, quod verbo ejusdem personæ non solet addi,
 prohibet quoq; distincta personarum terminatio, nam in secun-
 da foemin. fut. 1. Kal. dico, v. g. **תפקרי** in tertia v. foemin. dico
תפקר. 6. Ad locum *Gen. 2. v. 23.* Resp. verba illa: **לזאת יקרא**
אשה ad literam sic reddi: *Huic (nomen) vocabitur Virago.* Nam
 C 2 verba

verba nuncupandi in forma passiva præter Nominativum rei cum Dativo personæ solent copulari, & vocula ׀ִּי Verbo inclusa subintelligitur, id quod Pagninus (cujus auctoritatem Pontificii repellere non possunt) in multis locis observat. 7. Auctoritas Pagnini & Junii Pontificios nihil juvat, nam (1) ipsi met in masculino & neutro locum nostrum Mosaicum transtulerunt. (2) non quæritur quid aliis in locis Scripturæ contingat, sed quid hîc sit statuendum.

Argumentamur prætereà à *Masoretarum diligentia*. Quantâ industriâ hi in verba Codicis Ebraici inquisiverint, quanto studio omnia, quæ cum communi loquendi consuetudine non conveniunt, annotârint, nullius cognitionem (ne ipsos quidem Pontificios excipio) subterfugit. Adeat quis eorundem *Marginalia*, adeat CL. BUXTORFII Tiberiadem & summam eorum sedulitatem experietur. Nos hîc tale exstruimus argumentum: *Quamcunque lectionem, ab usitata indole lingvæ deflectentem Masoreta, qui alias quamplures non tam insignes variationes observarunt, planè sicco pede transeunt, illa non est vero similis. Sed hæc Pontificiorum lectio est talis, uti fateri debent. Ergo &c.* Excipit Huntlaus cap. 18. m. 8. pag. 87. multa esse loca, in quibus nihil corrigendum putârint Masoretæ, quamvis in illis ponantur verba mascul. generis pro fœmininis, proptereà quod jungantur nominibus collectivis ut *Es. 51, 8. Jer. 3, 3. cap. 4. 14. Ezech. 12. 4. Neh. 3, 11. Cant. 2. v. 7. cap. 5. 8. cap. 8, 4.* Resp. 1. Huntlaus disputat ex falsa hypothesi. Existimat enim nomen ׀ִּי esse nomen collectivum, cujus assertionis falsitatem postea detegemus. 2. Debuisset distinguere inter observationes seu correctiones ejusmodi loquendi modi, qui Ebrææ lingvæ admodû familiaris est; & inter observationem ejusmodi formulæ loquendi, cujus pauca vel planè nulla similia dantur exempla. Si vel maximè ipsi concederetur in aliquot locis, ad quorum classem dicta allegata referantur, Masoretas nihil vel annotâsse vel correxisse, tamen adhuc nostrum subsisteret argumentû, quippe quod de insigni aliqua variatione & planè inusitata loquendi forma agit. Ipsi enim Pontificii non possunt simile afferre exemplum, ubi fœmininum cum verbo & affixo eò modò ut in nostro

nostro loco constructum reperiatur. Caterum illa accusatio-
num plaustra, quæ ibidem Huntlaus (à quo Marsennus omnia
sua argumenta mutuatus est) in Masoretas exonerat, audacter
pronuncians, eos permutationem generis masculini cum foe-
minino in verbis collectivis nō observasse, hoc loco movere nō
necessarium esse arbitror, partim quia illa ex arenoso fundamē-
to exstructa (somniat enim vocem אִשָּׁה nomen collectivum
esse) partim quia admodum sunt contorta, & ex nimio pruri-
tu allegorias sectandi fabricata, partim etiam quia sufficienter
à Sixtino ab Amama in *Anti Barb. Bibl. pag. 346.* sunt percussa.

Quartum fundamentum desumimus ab analogia fidei senten-
tia, ita argumentantes: *Quaecunq; Versio contrariatur analogia fi-
dei, illa non est toleranda; Atqui Romana Versio contrariatur anal.
fid. E.* Major suo pondere persistit. Minoris probationem Je-
suitæ à Theologis poscant, quâ nos h. l. super sedemus, ne fal-
cem in alienam messem immittere videamur.

Accessum jam facimus ad Quintum argumentum, quod
nobis suggerit *Veterum Interpretum consonantia*: Quamcunque
lectionem Veteres Interpp. non sequuntur illa non est proba-
bilis. At Vulgata talis est. E. non est probabilis. Majorem ipsi
Pontifici non negant. Minor a. jam probanda venit, LXX.
verterunt in Masc. אִשָּׁה . Chaldaica paraphrasis Onkeli habet
masculinum אִשָּׁה & semen aperte de filio mulieris exponit. Tar-
gum Hierosolymitanum verba Mosis in singulari expressit, quæ
sunt hujus tenoris: Et quando filii mulieris operam dabunt legi,
& fecerint præcepta, tunc studebunt tibi contere caput &
occident te. Hoc a. primario de Christo intellectum vult, quan-
do caput serpentis conculcandū esse ait: $\text{בְּיַמֵּי מַלְכָּה מְשִׁיחָה}$
Præterea Hieron. *quest. Hebr. in Genes. Irenæus Martyr l. 2. te-
stimoniorum adversus Judæos, ad Quirinum sect. 9. Isidorus
Pelusiota Epist. 426. Serapion apud August. Steuchum Cosmop. in
Gen. c. 3. & alii pii Veteres à nostris stant partibus, & Masculinū
amplectuntur. Excipit I. Huntlaus pag. 85. LXX. Interpretes ju-
xtà nonnullos codices & lectionē S. Ambrosii & August. vertunt אִשָּׁה
in fœm. Resp. 1. Cur eos non denominavit Huntlaus, ut causæ suæ
major veritatis fulgor accederet? 2. LXX. constanter legunt:
 אִשָּׁה & c. 3. Ipse Huntlaus Spiritu vertiginis agitatus pag. 89. fa-
tetur*

tetur multos libros Græcos vertere αὐτὸς. II. Marsennus qui
 loc. alleg. p. 348. in hæc verba definit: LXX. qui verterunt αὐτὸς,
 non ad σπέρμα, sed ad הַשָּׂרָא quod hic masculinum est, respexerunt,
 quæ iterum more suo ex Huntzro transtulit. Resp. 1. quid audio
 de te Marsenne? Dicis הַשָּׂרָא masculinum esse? Unde hoc tuum
 effatum probas. Eâdem facilitate illud rejicitur, quâ profer-
 tur. 2. Cur non etiam inveheris in Paulum, qui ad Gal. 3. v. 16.
 hujusmodi nectit constructionem, ἡγὼ τῷ σπέρματι σου, ὅς ἐστι
 χεῖρὸς. Et semini tuo, qui est Christus, nam juxta tuam hypothe-
 sin neq; hic masculinum ὅς ad præcedens neutrum σπέρμα re-
 ferri posset. 3. Quod igitur LXX. verterunt αὐτὸς idè fecerunt,
 quia respectum habuerunt, tum ad vocem Hebr. quæ ma-
 sculini generis est, tum ad sensum, quia per semen genuinè fi-
 lius intelligitur, ut videre est Gen. 4. 25. כִּי שָׂתָלֵהוּ אֱלֹהִים
 אַחֵר תַּחַת הַבָּרָא III. Pergit Marsennus inscitiam suam
 prodere, cum dicit Chaldæum Paraphrasten pronomen in
 neutro posuisse. Nam 1. utraq; Lingva (Ebr. & Chald.) neu-
 tro genere destituitur. 2. Cur non hoc quoq; de textu Ebræo
 dicit, in quo idem conspicitur pronomen? IV. Bellarminus
 speciosò Patrum titulò nos proritare conatur, quando inquit:
*legisse Ipsa Claudium Marium Victorem, Alcinum Avitum, Chry-
 sost. hom. 17. in Gen. Augustin. Ambros. Gregorium Magnum, Eu-
 chenum, Rupertum, Bedam, Rabanum, Strabum, Lyrantum, Bern-
 hardum, itaq; mendacium esse, quod Chemnitius dicit: omnes Vete-
 res legisse ipsum.* Confer quoq; Cornelium à Lapide, qui Josephum
 lib. 1. cap. 3. hiscè scriptoribus productis annumerat. Resp. I.
 in genere (1) hoc argumentandi genus saltem est secundarium
 non primum, quod ex ipso textu vel alio firmo fundamento
 elici debet (2) Patres, alias doctissimi, secuti versionem vulga-
 tam ita legerunt. Neque hoc mirandum est cum ipse Bellar-
 minus lib. 2. de Verbo Dei cap. 10. p. 39. fateatur, in Conciliis genera-
 libus Ecclesia paucissimos aut interdum nullos inveniri lingvæ Ebr.
 peritos. Dolendum itaq; est, tum temporis studia lingvarum O-
 rientalium non ita floruisse, sicuti hodie (DEO sit laus) subin-
 dè incrementa capiunt, (3) non omnes Veteres Pontificiorum
 opinioni assurgere, patet non solum ex præmissa quorundam
 Vete-

Veterum enumeratione, sed etiam ex ipsius Cornelii à Lapide confessione, qui loc. cit. S. Leonis, Lipomani LXX. & Chald. Interp. meminit, qui cum nobis Ipse vel Ipsum sensu eodem manente retinent. (4) Chemnitio nulla mendacii macula potest aspergi, usus enim est particulâ universali non simplici, sed accommodâ, non omnes utpote recentiores Patres, sed puriori antiquitati addictos intelligens. I I. in specie [1.] Chrysostomus in ἀντιλεξόντων consortium pertrahi nequit, nam Philippus Montanus Papista annotante Jacobo Pammelio Papista in editione Cypriani Parisiensis ad l. 2. testimon. advers. Jud. n. 51. testatur, Græcum Chrysostomi contextum aliter habere. Infringere quidem hoc conatur Sacroboscus, verùm rectè urgetur contra eum non solum adversariorum Confessio, sed & Exemplarium constantia, quæ allegant Polanus in Syntag. Theol. pag. 78. c. & Daniel Chamierus Panstrat. Cathol. lib. 14. cap. 10. pag. 213. (2) Josephi testimonium (ex lib. 3. c. 1. δεχαιολογίας) à Cornelio non bonâ citatur fide, ad quod aliàs etiâ provocat PETRUS BLOMEVENNA Leidenfis in Comm. Caribufiani in hunc Gen. loc. Non enim ita loquitur: *Præcepit, ut mulier capiti plagas inferret*, sicut à Lapide & ille Leidenfis volunt, sed sic Græca verba habent: Πολέμιον ἀποδείξας αὐτοῖς καὶ ὑποτιθέμενον ἅ τῆς κεφαλῆς φέρει τὰς πληγὰς h. e. *hostem illis designavit, & jussit ipsum plagas dirigere*. Quod hic Cornelius ait, hæreticos vocem γυνὴ sustulisse, non est invicta probatio, sed vana suspicio & mera principii petitio ac conjectura.

Ultimum argumentum nobis suppeditat *Ipsorum Adversariorum restitio & confidentia*. Sunt enim quàm plures non infimi ordinis, qui nostræ lectioni subscribunt, & vitium Versionis agnoscunt, in quorum classe vides Riberam in Habacuc c. 13. & lib. 2. de templo, c. 2. Andradium lib. 4. defensionis Concil. Trid. Melchiorum Canum lib. 2. c. 15. Locc. Theol. Isidorum Clarum in suis Bibliis, Ariam Montanum, Pagninum, Pererium lib. 10. comm. in Dan. Lindanum de optimo interpretandi genere l. 3. p. 126. & 126. & 127. Francium Luc. Sacrobosum, Jo. Isaac. Cajetanum in b. l. Franc. Greg. Veneum, Tom. 1. probl. in Gen. 15. Hartum colloq. cum Reinold. 6. Felisium elucid. decal. præcept. 1. c. 49. nec non Theologos Parisienses in notat. marg.

marg. ordinaria glosse in b. l. Et quod apprimè notandum est, ipse Leo Papa Romanus h. l. de semine mulieris, Christo, interpretatur, cujus verba citat *Augustinus Steuchus in Cosm. in Gen. c. 3.* Concludo itaq; ita: Quam lectionem ipse Papa (qui errare non potest) & alii non inferioris subsellii Pontificii rejiciunt, ad illam, tanquam authenticam ipsi nos sub fulmine anathematis compellere non possunt. At prius est verum de Versione Romana, E. & posterius.

*Rationum
contraria
sententia
confutatio.*

Probavimus hæcenus, sufficienter ut spero, nostram sententiam argumentis aliquot, à corruptelis Adversariorum vindicatis. Restat jam ut subruamus eorum fulcra, quæ Jesuitæ vitioso Versionis corpori substernunt. Melioris lucis gratia illa in duas dispesco classes; quædam enim ex principiis rationis, Philologicis & Grammaticis; quædam v. ex locis Scripturæ aliisque fundamentis depromunt. Illa hoc loco principaliter perspiculanda; Hæc v. Theologis relinquenda sunt, ne eorundem demolitionem (quæ facilis esset) suscipiens, μετὰ βασιν εἰς ἄλλο γένος committere videar.

I. Semen est nomen collectivum. E uti notat multitudinem, qn. de Diabolo (serpente) usurpatur; Ita similem obtinet significationem, quando de Muliere dicitur. *Huntlaus c. 17 m. 2. p. 77.* Resp. 1. Audio quidem hic Papisticam Interpretationem, sed de ejusdem probatione altum est silentium. 2. *Huntlaus* S. Apostolo Paulo contradicit, qui de tali indole nominis ὅτι nihil monet, sed unice locum nostrum de Christo exponit, quando in hæc definit verba *Gal. 3. v. 16.* Non dicit, Et seminibus tanquam de multis (audi *Huntlæe*) sed tanquam de uno & semine suo, qui est Christus. Quæ fronte igitur *Huntlæus* locum nostrum ad pures refert, quem Apostolus saltem ad Unum accommodat. 3. De argumento, ex oppositione petito suis postea erit dicendi locus.

II. Nomen סֵמֶן ponitur in masculino in posteriore Dicitur membro, quando dicitur: Conteret caput &c. Sicut contrà in priori in fæminino, quando legitur: Semen illius, est n. nomen collectivum significans totam Ecclesiam; Nomina a. collectivæ sunt communis generis teste *Pagnino, lib. 2. Gramm. Ebr. cap. 2. & Gen. c. 32. v. 8.* *Huntlaus loc.*

loc. cit. & Marsennus contra Sixtinum. Resp. Quam horrenda ab-
 surditatum monstra Huntlæus producit! nam 1. miram introdu-
 cit vocem $\mu\epsilon\lambda\epsilon\mu\acute{o}\rho\phi\omega\sigma\iota\nu$; Antea assererat vocem $\Psi\Upsilon$ ad classem
 nominum collectivorum pertinere, Jam eò audaciæ progreditur,
 ut non erubescat dicere nomen $\Upsilon\psi\Omega$ mascul. esse. 2. nullum af-
 fert exemplum, in quo vestigium aliquod hujus acceptionis ap-
 pareat. 3. disputat ex falsa hypothese, dum per semen totam Ec-
 clesiam intelligit. 4. committit fallaciam plurium quæstionum,
 dicens nomen $\Upsilon\psi\Omega$ in posteriori membro in masculino poni, cū
 tamen ibi planè non habeatur, ut hæctenus probavimus. 5. Pro
 nomen $\Upsilon\psi\Omega$ referri debet ad nomen præcedens $\Upsilon\psi\Omega$ juxta Hunt-
 læum. Jam v. eodem fatente illud est gen. fœminini. E. & pro
 nomen ejusdem generis temperamentum sequetur, quod tamen
 negat. 6. Si nomen $\Upsilon\psi\Omega$ aliter in membro priori, aliter in po-
 steriori accipiatur, quid mirum, diversam quoq; esse rationem
 vocis $\Psi\Upsilon$ in illo membro quò de serpente, & illo quo de femine
 benedicto sermo spargitur, quod iterùm contra Huntlæum. 7.
 Quod ad diversitatem significationis se recipit, in eo principium
 petit, siquidem nondum ipsam acceptionem voci affictam proba-
 vit. 8. Laterem lavat dum Pagninum allegat. Hoc enim solummo-
 dò dicit, esse quædam nomina, quæ utroq; genere usurpentur, id
 quod nemo inficias ibit. At inter ea vocem $\Upsilon\psi\Omega$ occurrere pla-
 nè non dicit. 9. Nomen $\Upsilon\psi\Omega$ ex cap. 32. Gen. productum o-
 mnium Lexicographorum suffragiò communis generis est. At de
 vocula sua Huntlæus hoc nunquam dedit probatum.

*III. Ex Versione Latina patet esse legendum Ipsa, quia hæc
 est authentica. Gregor. de Valent. anal. fid. cathol lib. 8. p. 97.* Resp.
 Puerilis lusus, Jesuitæ ingenio indignus. Inverso debuisset pro-
 gredi ordine, & ad normam Ebraici codicis suam vulgatam revo-
 care Versionem. Nihil hic addo, cum argumenti hujus enume-
 ratio simul ejusdem exhibeat refutationem.

*IV. Semen serpentis, quod semini mulieris opponitur, multis
 eundem significat. Ergò & semen mulieris. Non n. probabile est Scri-
 pturam ambiguè loqui, Huntlæus cap. 17. m. 2. p. 77.* Ad hoc argu-
 mēto

D

mēto

mentum alludit etiam **Cornellus à Lapide**. Resp. 1. Non urgenda sunt rationes probabiles, sed firmæ & subsistentes. 2. **Hunclæus** sibi non per omnia constat, ut in 2. ratione vidimus. 3. Idem utitur hoc axioma: *oppositorum opposita est ratio*. Quod tamen modo debitò limitatum, ipsum nihil juvat. Valet n. illa regula, non quoad significata & suppositorum equalitatem, sed quoad significationem ejusdemq; varietatem. Sic v. g. non est necesse, tot esse animalium rationalium species, quot sunt brutorum. Similiter hoc loco semen serpentis semini mulieris opponitur, quoad significationis disparitatem; non a. quoad numerum suppositorum, quasi à nostra parte tot stent Redemptores, quot Diaboli ab altera. 4. Probè hîc notandum est, Christi pugnam passionem & victoriam duplicem esse: Unam, quam suscepit in corpore suo naturali. Alteram, quam sustinet in suo corpore mystico, quod est Ecclesia; Priorem suscepit pro nobis. Posteriores obtinet in nobis. De priori loquitur Scriptura, quando soli Christo exclusivè opus Redemptionis assignat; De posteriore loquuntur ea dicta, quæ **Hunclæus** & alii citant, v. g. *Rom. 16. v. 20. Deus conteret Satanam sub pedes vestros brevi &c.* De utraq; pugna nostrates Theologi verba Prot-Evangeliî exponunt, sicut videre est apud **D. RUNGIUM** in *comm. super cap. 3. Gen. v. 15.* Si de priori loquuntur Jesuitæ, dicimus, neminem præter Christum diaboli caput contrivisse, quî etiam hoc respectu solus maledicto semini opponitur; Sin de posteriore, concedimus, membra Ecclesiæ virtute capitis sui non solùm caput serpentis conterere, sed etiam eadem hîc sensu semini nequam opponi. Hîc distinctionis emplastrò ritè applicatò cætera omnia argumentorû vulnera, quæ Jesuitæ integro doctrinæ orthodoxæ capiti infligunt sanari possunt, quæ etiam uberius deducenda iis relinquo, quî provinciis Theologicis funguntur. Ad nostrum enim hæmisphærium illa non spectare videntur.



CON-

CONTROVERSIA TERTIA

De punctatione Nominis יהוי

*An propria & genuina, vel affcicitia habeat puncta,
& à voce ארני mutuata?*

Observandus omninò est controversiæ Status. Non enim hîc disquiritur, an vox יהוי ubicunq̃ue propriis ac genuinis suis gaudeat punctis? quod neutiquam asserimus, nec à quoquam hæctenus assertum esse existimamus, nisi planè hospes fuisset in Sacro Codice; sed utrum Nomen τετραγράμματον יהוי quando primæ literæ jod subscrībatur (:) secunda litera ה moveatur per (י) tertia litera ו per (ח) h. m. יהי, moveatur per hæc quæ propria & genuina ipsi sunt puncta, an verò affcicitia vocis ארני? Prius ut nobis probabilius videtur, ita & id defendere in præsens annitemur.

Ante omnia autè probandum erit per ἀρσι puncta vocis יהי de quibus jam controversia est, non esse eadem cum punctis ארני, quod nullo fieri poterit negotio, etiam ὀφθαλμοφανῶς. Nam quivis, nisi cæcus, videt in ארני esse Scheva compositum, Chateph-patach dictum, quod simplex offenditur in יהי. Et quamvis non inusitata sit permutatio של Scheva simplicis cum composito, & vicissim hujus cum illo, præsertim si adsint literæ gutturales Scheva simplex communiter respuentes, attamen in illis vocibus, quæ alienis gaudent punctis, locum non habet. Svadet id etiã tum ipsa ratio, tum imprimis similium exemplorum observatio, in SS. occurrentium. *Esaiæ 36. v. 12.* duo se se offerunt exempla ad hoc negotium maximè facientia: Unum est חרִיאָהּ puncta aliena sunt, nempe vocis צִוְּאָהּ ut in margine à Maloretis est annotatum. Nulla hîc fit mutatio punctorum, quamvis aliàs si consonantium haberetur ratio, legendum esset חרִיאָהּ vel potius חרִיָּהּ ut R. Salomon legit, & sapientes Talmudici prisca annotante BUXTORFIO in *epitom. rad. Ebraic.* & *Gbald. sub rad.* חוּן. Alterum exemplum est שִׁינִיָּהּ puncta



iterum sunt aliena, vocum nempe מִימֵי רִגְלֵיהֶם Nonne hic in-
 egrè puncta ad priorem transferuntur vocem? utique; nullo ha-
 bito respectu ad ipsas consonantes, quæ aliàs talem, regulis Grā-
 maticalibus hoc quicquid est (vadentibus, admitteret punctatio-
 nem שִׁיבִיהֶם Plura exempla, si quis desiderat, habentur 2. Reg.
 6. v. 25. 2. Reg. 10. v. 27. Deut. 28. v. 27. & alibi. Neque minister vocæ
 lium Scheva ex hoc ordine facilè eximi poterit. Notum namq;
 est, quod prima cōsona Jod vocis יְהוָה quando puncta ׀ נֶלְהִים
 suscipit, Scheva compositū Cateph-Sægol dictum, præter literæ
 Jod non gutturalis naturā retineat. Quod eo magis nobis adver-
 santes cōstringit, quo constat (⋮) in nulla alia voce, quam in
 hac sub litera non gutturali poni, cum tamen (⋮) non semel sub
 litera non gutturali scriptum in Sacro Codice reperiatur, ut
 Gen. 21. v. 6. cap. 27. v. 38. 1. 31. v. 39. vide sis B. Trostii Grammaticā E-
 braicam, ab Excell. Dn. Sennerto revisam atq; locupletatam, lib. 1. cap.
 9. Reg. 1. general. num. 10. pag. 110. Progredimur ab ἀπει ad θεός
 probaturi jam rationibus, si non iis quæ ἀπερίβειαν Logicorum su-
 stinere possunt, illis tamen quæ in Philologia sufficiunt, nempe
 vocem יְהוָה quando habet Scheva, cholem, & kametz, pro-
 priis suis gaudere punctis. Provocamus autem (1.) ad ipsam hu-
 jus nominis derivationem, quæ petitur à Rad. יְהוָה vel יְהוָה ut
 apud omnes ferè in confesso est, unicum si excipias Hieronymum
 ab Oleastro, qui commentar. in Gen. c. 2. affirmare non dubitat,
 hoc nomen potius derivari ab יְהוָה quod est *perniciēs*, quàm ab
 יְהוָה quod est *esse*, cujus tamen sententia cum omni destituta sit
 fundamento, audiendus ille nobis non est. Hoc itaque præsup-
 posito accipere hanc vocem יְהוָה denominationem suam ab
 esse, maximè probabile est, puncta hæc, scheva, cholem & ka-
 metz esse Dei secundum omnes temporis differentias, ut sunt
 præteritum, præsens & futurum accuratè exprimentia propria es-
 se & maximè genuina. Idq; ne gratis dixisse videamur, probati-
 onem nostram statim subjungimus. Et primò quidem punctum
 (⋮) quod concernit, respectus sit eo ipso ad tempus præteritum,
 conjugationis primæ, quam præcipuè hîc attendimus. Notum
 enim est, etiam iis, qui vel primis labris hanc linguam attigerūt,
 108-

tertiam personam præteriti kal, utpote quæ Radicem constituit,
 semper habere (̄) sub primâ radicali. Alterum v. punctum (̇)
 indigitat tempus præsens (ejusdem conjugationis (quod cõmuni-
 ter apud Ebræos (cum peculiare tempus præsens non habeant)
 exprimitur per participium Benoni, cum quo punctum hoc (̇) tã-
 quam sub i. rad. hujus temporis ordinariū egregiè convenit.
 Tertium tandem punctum (:) sub litera Jod, respicit tempus fu-
 turum, quod ut in omnibus personis admittit literas præforman-
 tes (& quidem unam ex literis ך׃) ita etiam earum comitem,
 h. e. Scheva, uti ex Grammaticis constat. Neq; adeò curamus,
 quod in conjug. reliquis extra Piel & Pual non possit explicite po-
 ni, quod objicit *Sixtinus Amama in Antibarb. Bibl. pag. 548.* Sufa-
 ficit nobis quod si non actu, *δωάμει* tamen literæ præformantes
 (:) habeant. Provocamus (II) ad nominum quorundam proprio-
 rum ex Tetragrammato compositorum rationem. Horum nominum
 puncta initialia Scheva & Cholem pro veris & genuinis habentur.
 E. g. ך׃ִיִּקִּי ex ך׃ִיִּקִּי & יהוה 2. Reg. 23. v. 34. 1. Paral. 3. v. 15.
 Jer. 36. v. 1. והוֹקִיִּן ex כוֹ & יהוה 2. Reg. 24. v. 12. & 15. cap. 25. v. 27.
 והוֹרֵעַ ex ידע & יהוה 2. Reg. 11. v. 4. 15. 17. 2. Paral. 24. vers. 14. 15.
 יהונתן ex נתן & יהוה Judic. 18. v. 30. 1. Sam. 18. v. 3. & cap. 20. v. 5. Plura
 hic conglomerare exempla non est operæ pretium. Saltem ex
 his ipsis talem συλλογὴν ἢ λόγον exstruimus: *Quacunq; puncta*
Tetragrammati consonantibus sunt genuina & nativa in eã cõpositione
cum aliis nominibus propriis, illa etiam erunt nativa extra cõpositio-
nem. Atqui priora duo puncta, videlicet Scheva & cholem Tetra-
grammati consonantibus sunt nativa in cõpositione cum aliis nominis
bus propriis. E. Major suã radiat luce. Minor patet ex antea addu-
ctis exẽplis. Ista n. nomina nõ pronunciantur b. m. Adojakim, Ado-
jada & c. sed prout cadunt. Ultimum v. punctum (̄) sub litera
 Vau non minus quàm priora duo puncta, Scheva & cholem Te-
 tragrammati nativum & genuinum esse, si non aliundè, certè ex
 ipso nomine Adonai liquidò constat. Certum enim est, nomen
 illud אֲדֹנָי quando hominem denotat, scribi cum puncto brevi
 (-) patach dicto, quod & ipsa Grammatices ratio exigit; quan-
 do verò ad ipsum Deum refertur, cum puncto longo ֶ, kametz di-

do, idq; contra Grammatices ἀναλογίαν. Unde haud obscure col-
 ligitur à minori ad majus. Si ultima syllaba vocis יְיָ Tetra-
 grammaton cum puncto longo Kamez insignitur; multò magis in
 ipsum Tetragrammaton tanquam essentialè Dei nomen hoc punctum exi-
 get. Sed verum est prius. E. Quin imò cum Kamez, veluti jam in-
 digitavimus, nomen divinum ab humano distingvat, vix negari
 amplius poterit, vocalè illam (◌) nominis absolute divini nempe
 יהוה esse proprium. ὅπερ ἐστὶν δὲ αἱ. Reponit quidem Sixt. Ama-
 ma, kamez non esse ex nomine J. hova, sed διακρίσεως causa im-
 positum esse Adonai. Verùm uti posterius nos Sixtino Amama, e-
 jusdemq; asseclis libenter largimur, ita nobis etiam concedant o-
 portet, distinctionis hujus principium esse ex nomine יהוה de-
 sumptum. Quod si hujus vocis יְיָ diversissimæ essent significa-
 tiones, aliquid ab ipsis diceretur, cum constet ob hanc significa-
 tionum diversitatem diversa nonnunquam puncta uni eidemq;e
 voci differentie causa subterni; cum verò ad diversa tantummo-
 do subjecta, ob quæ puncta mutari non solent, significatione u-
 na eademq; manente vox יְיָ referatur, ratio ista hinc non mili-
 tar, sed aliundè petenda est, nimirum, quod peculiare sit in voce
 יְיָ idq;e ex nomine arcano & proprio ortum, ut per receptio-
 nem characteris ejus etiam fieret incommunicabile, quod B. Dn.
 D. DORSCHEO videtur in disputatione quadam de nomine Jeho-
 va, §. 16. (III) Provocamus ad Judæorum metum & trepidatio-
 nem, quâ sanè opus haud esset, si puncta nominis Tetragrammati
 vera ac genuina non amplius extarent. Nam modò per periphrasin
 hoc nomen expresserunt, pronunciantes ejus loco שְׁמֵ עֲרֵבֵי
 אֲתֵינָא Nomen quatuor litterarum, vel ut R. Majmon. in More-
 cap. 61. vocat שְׁמֵ יוֹד הֵא וְיוֹ הֵא נֹמֵן nomen ioh be vau be; alii
 שְׁמֵ הַנְּבִיָּא Nomen gloriosum; alii שְׁמֵ הַמְּפֹרָשׁ Nomen sepa-
 ratum vel expositum; alii aliis usi sunt circumlocutionibus. Modò
 abbreviatè hoc nomen scripserunt, vel per tria jodim subjuncto
 kamez h. m. יְיָ quam figuram in Antiquorum Ebræorum Co-
 dicibus inveniri dicit Galatin. lib. 2. de Arcan. Cathol. veritat. cap 10.
 vel etiam absq; kamez h. m. יְיָ vel per quatuor puncta ordine
 se in-

se invicem subsequencia h. m. (....) vel per etia Kametz (....) & quis omnes formas, quibus superstitiosi Judæi in scriptiõibus suis ad nomen hoc Tetragrammaton magis magisque abscondendum usi sunt, recensere possit? *Modò planè literas quasdam in Nomine hoc mutarunt ac depravarunt, & pro יהוה scripserunt vel יהוה vel etiam יהוה de quibus omnibus plura si quis desiderat, consulat Magnif. Dn. D. CALOVIUM, Theologum cordatissimum, vindicemque Religionis nostræ acerrimum, in Theologia Nat. & Revelat. art. 1. de Deo, pag. m. 219 seqq.*

Explicavimus hætenus nostram sententiam, eandemque rationibus probatam dedimus. Operæ nunc erit pretium, ut argumentorum tela, sententiæ nostræ parata, excipiamus, & qualia quantiç; momenti illa sint, paucis exploremus. Primum itaque, quo punctationis proprietatem infringere conantur, desumptum est à punctorum mutatione. Sic enim argumentantur:

Quodcunq; nomen proprium non habet puncta stata, sed in hoc vel illo loco, ob hanc vel illam vocum conjunctionem variabilia, illud quoq; non habet puncta propria & suis consonantibus nativa.

Atqui nomen hoc Tetragrammaton יהוה non habet puncta stata &c. E.

Majorem extra omnem controversiam positam esse sibi persuasum habent; ast meram persuasionem esse mox videbimus. Minorem probant exindè, quia יהוה nõ tantum in S. Codice habet Scheva simplex cholem & kametz, quoties nimirum vel seorsim vel etiam יהוה adjunctum scribitur; sed & chateph-sagol, cholé atq; chireck, quoties אלהי vel post ipsu immediatè sequitur, vel ante ipsum immediatè ponitur. & ad Majorem propositionem, illam simpliciter negando. Nota enim sunt nomina propria in S. Codice obvia, quæ vel planè immutantur, vel saltem immutationem aliquam non tantum quoad literas, verum etiam quoad ipsa puncta patiuntur. Probamus hoc uno vel altero exemplo: Qui prius appellabatur אלהי uti videre est Gen. 11. v. 12. seqq. non

non multò post audit **אברהם** Gen. 17. v. 18 seqq. Qui primùm dicebatur **הושע** Num. 13. postmodum in libro Jos. hinc inde & alibi nuncupatur **הושע** Sic qui non semel in S. Codice vocantur **ישראל** illi Hof. 1. v. 4. 5. & cap. 2. v. 2. appellantur **ישראל** Qui dicitur **חור** 2. Chron. 4. v. 11. in eodem statim commate vocatur **חור** Et quæ alia commodè hanc in rem adduci possent. Majore propositione itaque hac ratione debilitata, argumentum illud de nullo est. Ex falsis enim præmissis, vel saltem unâ præmissarum falsâ non nisi falsum elici potest. Urgent quidem Bellarminus *Exercit. in Ps. 34. pag. 159.* Drosius *cap. 14 Teo- tragrammat. pag. 40.* Sixtinus *Amama dissert. de nomine Jehovah, S. 47. p. 510.* & alii, vocem hanc **יהוה** punctatam cum chateph-segol, cholem & chireck tantummodò immediatè ante vel post vocem **אדני** occurrere, & nunquam aliàs eo videlicet fine, ne bis legeretur *ἁυτολογικῶς* Adonai Adonai. Verùm non una huic *ἐπιείκεια* parata est responsio. Primò enim dicimus, illud ipsum esse *ζητέμα*, an *τετεργεμα* eâ ob causam puncta **יהוה** habeat, ut vitetur vocis **אדני** immediata repetitio. *Ζητέμα* autem probationis loco malè, ne dicam ineptè adducitur. Secundò opponimus ipsis locum ex *Psal. 16. v. 2.* ubi hæc habentur verba: **אמר יהוה אלהי אדני** Quod si vis aliqua ipsorum collectioni inesset, & hîc puncta mutanda fuissent. Secus quivis videt, collectionem illam non procedere. *Conf. Exod. 34. v. 6. Ps. 8. v. 2. Amos 5. v. 16.* Tertiò denique *ἐπιείκεια* addimus, mysterium aliquod subesse, quando **יהוה** & **אדני** conjunguntur. Literæ enim nominis **יהוה** Essentiæ unitatem, puncta verò personarum pluralitatem indignant.

Secundum Argumentum desumptum est à prefixorum punctatione, quæ nisi dicatur vocem **יהוה** habere puncta **אדני** regulis Grammaticalibus applicari neutiquam potest. Argumentum in forma esset tale:

Quæcunq; punctatio Regulis Grammaticalibus applicari non potest, illa propria non est. Atqui punctatio nominis יהוה E.

Minao

Minorem probant: cum occurrit **כִּי־וַיְהִי** Gen. 15. v. 6. **וַיְהִי־וַיִּבְרָא**
 Deut. 4. v. 7. **וַיְהִי־וַיִּבְרָא** Jer. 16. v. 10. **וַיְהִי־וַיִּבְרָא** Deut. 4. v. 21. **וַיְהִי־וַיִּבְרָא**
 ratio dari nequit, cur serviles literæ illic habeant (-) hinc verò sub
 ם (..) nisi dicamus haberi rationem illic sequentis puncti rapti
 chateph-patach, quod est sub **א** in **אֲרָנִי** cum puncta raptâ sub i-
 stis servilibus **וְכָל־** punctum affine ante se requirant, quod h. l.
 est patach; hinc v. ubi ם præfigitur haberi rationem ipsius literæ
 gutturalis **א**, ex qua dageſch exclusum in precedenti puncto (..) **א**
 compensatur per (..) *Vide Grammaticam Ebr. Troſtio-Sennerti-*
nam, lib. 1. cap. 9. Reg. 4. gen. pag. 120. Relictâ propositione minore
 Respondemus (1) ad Majorem, quæ in hoc argumento iterum va-
 cillat. A regulis enim Grammaticalibus ad ipsam Linguam, &
 præsertim Ebræam quæ reliquarum mater est, absolute & simpli-
 citer argumentari haud licet. Siquidem non Lingvæ ex regulis
 Grammaticalibus, sed regulæ grammaticales ex lingvis sunt de-
 ducendæ. (2) Etiam si illa argumentatio aliàs procederet, quod
 tamen nondum evictum est, nec facile evinci poterit, attamen
 hinc loci, ubi de divinis nominibus agitur, admitti non potest.
 Ratio est in promptu. Illa enim peculiari plerumque gaudens
 punctatione, quod satis superq; probant nomina **אֲרָנִי** & **אֱלֹהִים**
 Quando illi præfigitur una ex literis **וְכָל־** non dicitur **וְאֱלֹהִים**
 (quod tamen fieri oportebat, juxta Regulam Grammaticalem: *Chateph segol Scheva simplex mobile precedens perpetuò extrudit &*
substituit affine punctum Segol. Vid. dict. Gramm. lib. 1. c. 9. reg. 3. pag.
118.) sed **וְאֱלֹהִים** quod ipsum etiam cum reliquis particulis usu
 venit. Sic quando huic (**אֲרָנִי**) præfigitur una ex iisdem præno-
 minatis literis, non dicitur **כִּי־אֲרָנִי** (quam tamen punctationem
 regula antea data efflagitabat) sed **כִּי־אֲרָנִי** Ut verò ex hac peculi-
 ari punctatione præfixorum aliena horum nominum divinorum
 puncta colligi non possunt; ita illa multò minus efficiet, ut de
 propriissimo & essentiali Dei nomine **וְיְהוָה** illud præsumamus.
 Quid si (3) ipsis ex liberalitate concederemus, haberi hinc in pun-
 ctatione præfixorum rationem vocis **אֲרָנִי** non tamen obtinebunt
 illico vocem **וְיְהוָה** habere puncta vocis **אֲרָנִי** Nam si conjectu-

E

ris

his locus esset, diceremus: postquam ex pio quodam affectu hoc summum & ἐξαίρετον nomen Dei occulere decretum est, ne quis illud incautius efferret, punctationem quoad præfixa ita conformatam esse, ut statim ad nomen sive ארני sive אלהי deduceret.

Tertium argumentum desumptum est à *literarum כפת כפת* conditione. Illæ enim in vocibus nomen τετραγράμματος sequentibus leniter dagestantur, quod dageſch alioquin sibi nequaquam vendicant post dictionem vocali aut litera quiescente immediatè terminatam. Provocant itaque rursus, quantum apparet, ad eas, quas Grammatica præscribit, regulas, quas tamen simpliciter & absolutè nobis opponi haud posse in prioribus probavimus. Et si maximè illam regulam Grammaticalem admittamus, nondum tamen obtinebunt, quod volunt. Patitur enim, ut aliæ, ita etiam hæc regula suas exceptiones, suas limitationes. Limitationem patitur dum excludit voces accentu regio s. distinctivo notatas. Jam notum est ex diligenti S. Codicis inspectione nomen hoc τετραγράμματος, quando subsequenti literæ imprimie dageſch lene, plerumq; accentum regium secum ferre. Quod si regerant, non tamen accentum regium semper adesse, & nihilominus primæ immediatè sequentis vocis literæ dageſch lene imprimi, habeant sibi responsum illud πολυθρήλυτον: Nulla regula est tam firma, quæ non habeat exceptionem. Si enim tam rigidi esse volunt, hancq; Grammaticorum regulam sine exceptione accipere, quomodo salvabunt locum Psalm. 68. v. 18. ubi post vocem ארני in litera subsequenti א nullum reperitur dageſch lene, quod tamen vi datæ regulæ adesse debebat. Quin imò ut propius ad rem accedamus, quomodo salvabunt locum Ps. CXXXII, 13. ubi hæc habentur ארני ארני litera א post vocem ארני est raphata, quæ tamen, si respectus hîc loci esset vocis ארני in fine habentis literam mobilem, dageſtanda fuisset, secus bliteus sit oportet, qui non animadvertat, ruinosum hoc atque lubricum esse fundamentum, quo suam superstruunt sententiam.

Quartum argumentum desumptum est à *nomine bujus Tetragrammati in N. T. præteritione*. Nam ubi in V. T. occurrit τετραγράμματος

γεγραμμενῶν, & locus citatur in N. T. exprimitur illud per vocem
 κῆρυξ τῷ ἰϞϞ respondentem. Resp. primò omnium negare pose-
 semus consequentiam, quæ hic necitur, nempe vox κῆρυξ re-
 sponderet voci ἰϞϞ E. non nomini Dei proprio. Nam, quod in vulgus
 etiam notum est, unius inclusio non est alterius exclusio. Deinde
 negamus simpliciter, quod nomen τετραγεγραμμενῶν in N. T. à
 Spiritu Sancto non sit expressum, præsertim si de expressione
 quoad significationem quæstio instituat. Facimus enim hæc in
 parte cum NICOL. FULLERO, qui præeunte ZANCHIO *lib. 1. de*
divinis attribut. c. 13. Tetragrammati hujus expressionem factam
 esse *Apoc. 1. v. 4. & 8.* statuit in *appendice ad Miscell. lib. 6. p. 129.* Verba
 ipsius ut notatu dignissima & ad præsens negotium plurimum fa-
 cientia non piget hîc ascribere. *Pulcherrimum, inquit, est atque*
distinctum & exquisitum Tetragrammati interpretamentum, recensio-
nem syllabarum nisi fallor non Ebraeorum more à dextra in sinistram
sed contra Græcorum ritum à sinistra in dextram exordiando & continu-
ando. Sic namq; primo loco *Va s. Kametz* obviam procedit præteritè
 יהוה. e. fuit, indicium; secundo *He s. cholem* participii יהוה nempè
 est insigne; tertio *je s. jod* futuri יהוה i. e. erit characteristicon. His E.
 punctis vocalibus nomini Jehova suppositis eternitas nature s. essentia
 divine menti humane dilucidè contemplanda exhibetur, ut quæ perpe-
 euitatis sit omnino immutabilis, semperq; fuerit & futurum sit. Hæc
 Fullerus solidè non minùs quàm appositè. Sixtinus Amama qui-
 dem in *Antibarb. Bibl. pag. 547. & 548.* argutam magis quàm soli-
 dam hanc Fulleri collectionem vocat; verùm cum parum vel ni-
 hil respondeat, veniam nobis dabit Amama, quod à partibus i-
 plius non itemus, præsertim cum nobis locum Johanniticum pe-
 nitius introsipientibus ea, quæ à Fullero sunt dicta, videantur
 solidissima. Ne verò idem nobis, quod Sixtino, objiciatur, pro-
 bamus id ipsum, si non apodicticè, attamen probabiliter. (1) Quia
 ubi dicendum erat ὁ ἦν secundum Lingvæ Græcæ indolem (quod
 eos etiam, qui vel à primo limine hanc salutarunt Lingvam, late-
 re haud potest) ibi non semel dicitur ὁ ἦν. Quo ipso nomen quod-
 dam eminentissimum indice quasi digito monstrari vix dubium
 alicui esse potest, cumq; eminentius non detur, quàm nomen



Tetragrammatōn, de quo jam controversatur, illud hic intelligi tamdiu statuimus, donec contrarium nobis fuerit probatum. (2) Habemus nonnullos inter Saniores Judæos nobiscum consentientes, si non per omnia, saltem in eo, quod nominis hujus etymon trinam temporis vicissitudinem involvere statuunt. Sic enim R. BECHAI *comment. in Exod. fol. LXV. column. 4.* scribit: *Deus benedictus imperat tribus temporibus, præterito presenti & futuro, & יהוה שם ה' המיוחד in nomine proprio יהוה comprehenduntur tria ista tempora, ut notum est omnibus.* Et tandem (3) quia locus hic Johannis (præsertim si ei adjungatur locus *Ebr. cor. 13. v. 8.* ubi hæc habentur verba: *Ἰησοῦς χριστὸς υἱὸς θεοῦ καὶ ἡμεῖς οὐκ αὐτὸς θεὸς ἴσους αἰῶνας*) instar definitionis vel descriptionis est vocis Jehova, rectè ex his colligitur vocem יהוה in N. T. quoq; haberi. Nam positâ definitione ponitur ipsum definitum.

Quintum argumentum desumptum est ab *Interpretum fontis Ebraei versione*, quæ non retinet nomen Tetragrammaton, sed aliter atq; aliter exprimit. LXX. Interpp. reddunt per *κύριον*, Syrus Paraphrastes per *ܠܘܘܐ & ܠܘܠܐ* Hieronymus & Arias Montanus per *Dominum & Deum*; Lutherus per *Herr und Gott*; Chaldaeus in Targum, quamvis proximius accedat ad nomen Tetragrammaton quàm reliqui Interpretes, reddens illud vel

per triplex jod, h. m. ⁹ ₇ vel per duplex jod, h. m. ⁹⁹ non tamen κατὰ πόδα ipsum fontem Ebraum sequitur. Sed *Respondemus*: LXX. Interpretes quod attinet, illi nomina divina non literis exprimere, sed verbis *ἱσοδυναμοῖσι* quadantenus representare solent. Quod verò per *κύριον* reddiderint, quæ voce & in reddendo nomine יהוה utuntur, vix alia ratio commodior dari poterit, quam quod Græca Lingva non habeat nomen, quod profunditatem atq; amplitudinem nominis יהוה exhaustiat. Nec quicquam nostræ sententiæ officit, quod Interpretes aliàs in suis translationibus usurparint nomina propria usitata, qualia leguntur in Fonte, ut Adam, Eva, Noah, Abraham, Isaac, &c. in translatione verò nominis divini non item. Nam ut non dicam *Metaphrasticis liberum esse in translationibus vel retinere nomina, vel nonni-*

non nihil inflectere, certum est; quocumq; etiam se vertant, ex his colligi non posse LXX. in V. T. loco Jehova Adonai legisse. Ita enim jam diu ante Christi nativitatem illa lectio Rabbinica obtinuisse, quod certis documentis non constat, ut probe monet B. Dorfebeus in allegata dissert. §. 14. pag. 17. Idem judicium esto de reliquis Interpretibus, qui libertate suâ in reddendis nominibus propriis usi sunt, quamvis in horum numero referendi non sint Pagninus & Tremellius, qui nomen Jehova retinuerunt.

Sextum & ultimum argumentum desumptum est à *Judeorum tum auctoritate tum ignorance*. Auctoritatem sistunt Rabbino- rum non unam, quam hic singulatim afferre nec libet nec licet, cum illa ex Sixtino Amama peti possint. Sufficiat saltem unius atq; alterius adduxisse auctoritatem. Inprimis provocant ad E- liam Levit. qui in libro Masoreth. Hammasoreth orat. 9. secunda-

rum tabularum sic ait: **שְׁמֵן שֶׁל ד' אֲוִיֹרֵי אֵינֶן** h. e. illud nomen quatuor literarum (Tetragramma- ton) non pronunciat secundum scripturam suam. Majmonid. in lib. jad halacha de precat. & benedict. Sacerdotum cap. 61. qui i- dem testatur, nempe Tetragrammaton hoc non pronunciarı **אֱלֹהִים בְּמִקְדָּשׁ וְכֹהֲנֵי הַשָּׁמַיִם הַמְּקֹדָשִׁים לִבְרַבְרַב בְּיָוֵם הַצֹּדֵק** h. e. nisi in sanctuario & quidem à Sacerdotibus Dei sanctificatus tantum in benedictione sacer- dotali & à Pontifice ipso die jejunii. Verum quæ hæc ἀκολούθια est? Judæi noluerunt, neq; fas esse judicarunt, ubicumq; locorum Te- tragrammaton pronunciare. E. puncta ejus vera & genuina non amplius extant, sed perierunt. Nolebant quoq; Judæi Je- sum Nazarenum in carnem venientem pro vero Messia, mundi- q; Salvatore agnoscere, sed constitutebant, ἵνα, εἰάν τις αὐτὸν ὁμολο- γήσῃ χειρὸν ἀποσυνάγωγῆς ἔκβληται Job. 9. v. 22. Quod ipsum quoq; adhuc hodiè statuūt Judæi, nec ab hac eorū obstinatâ maliti- tiâ dicam an inscitia se latum ungvem abduci patiuntur. Hinc qui colligere vellet, Messiam nondum venisse, à vero multum ablu- deret. Quod autem Judæorum ignorance, quam prætendunt, concernit, Respondemus, illam esse particularem. Sacerdotes enim populo benedicentes, ut ex allatis Judæorum testimoniis



patet, pronunciarunt hoc nomen Tetragrammaton, unde & vulgus illud ignorasse penitus non præsumitur. Prius ut concedit Sixtinus Amama, ita posterius negat, permotus hac ratione, quod superstitiosi in Judaismo Sacerdotes hoc nomen murmurarint potius, quàm pronunciarint, ut nemo astantium illud distinctè audire quiverit. Id quod probat ex *Massebet Kidduscin* cap. 4 fol. 1. ubi hæc habentur verba: אמר ר' טרפין פעם אחת עליתי אחר אחי אסי לרוכן והטיתי אזני אצל ככהן גדול ושמעתי שהב ליע שם בנעימרת אחיו הכהנום h. e. dixit R. Tharphon. Aliquando ascendi post avunculum in suggestum, & adverti aurem ad Sacerdotem magnum, & audiui, quod celeriter pronunciarer, & quasi absorberet nomen (Tetragrammaton) inter modulationem Sacerdotum. Probatio verò ista nobis non satisfacit. Particularis est, quæ nos non stringit. Quin imò, quod non parum sententiam nostram confirmat, citamus R. Mos. Ben. Maimon, qui in *halacha de benediët. Sacerdotum*, cap. 14. §. 1. ait: כהן הברכה בקול רם i. e. sic benedicetis (videlicet) alta voce, Sed manum de tabula. Sequatur.

CONTROVERSIA QUARTA An Lingva Ebræa ambigua?

DE Masiliensibus refert *Valerius Max. lib. 2. c. 7.* quod nemini cum telo urbem eorum ingredi licuerit, quod & ab Italis quibusdam usu receptum ajunt, qui exteras excurrunt regiones: ita quoq; Jesuitæ quum fundi Papistici calamitatem esse Lingvam Sacram videant, nulli telum hoc relinquunt, sed clavum hunc Herculeum pijs eripere dedita opera satagunt. Atq; hinc est, quod omnes in eodem edocti ludo Scripturam multis modis traducant, & imprimis Lingvam, quâ Dei oracula describuntur, ambiguitatis vel maximè accusent, ut videre licet apud *Huntleum, controv. 1. de U. D. cap. 7. Bellarmin. 1. 3. de V. D. cap. 1. col. 134.*

Octo verò profert rationes HUNTLÆUS, quibus se suam sententiam satis confirmatum ivisse putat. Tres priores desumit à signi-

à significatione (1) omnium vocum variâ (2) verborum eorundem
 in diversis conjugationibus, quin & (3) verborum eodem modo
 scriptorum & in iisdem conjugationibus contraria. (4) à diversa
 vocis eodem modo descriptæ deductione radicali. (5) à similitu-
 dine quarundam literarum. (6) à punctorum & literarum dissi-
 milium commutatione. (7) à literarum & dictionum defectu. (8)
 ab earundem redundantia. Quibus tandem exemplum ex Gen.
 I. v. I. petiit addit, illudque octo modis vertit ac pervertit.
 Ad quarum rationum responsionem priusquam accingar, pauca
 prius animo erunt prælibanda. Primum est, voces considerari
 vel in parte Etymologica, seu quod eodem recidit, seorsim abs-
 que collatione & constructione ad alias; vel in parte Syntactica,
 seu in constructione & $\chi\tau$. $\tau\omicron$ $\sigma\omega\mu\alpha$ $\kappa\alpha\iota$ $\tau\omicron$ $\upsilon\phi\theta$, ut Clemens A-
 lexandrinus loquitur. Isto modo ambiguitatem omnem à vo-
 cibus exulare non asserimus. Hoc verò modo ambiguitatem ex-
 pirare dicimus. Sic vox canis est ambigua mensq; variè distra-
 hitur, ut dubia planè reddatur, quid apprehendere debeat; ad-
 dita autem voce latrandi, omnis ambiguitas perit. Pertinet ergò
 hæc illud Sapientum: *Ambiguitas vocis adjectione sæpissimè perit.*
 Secundò distingvendum esse inter $\tau\omicron$ formale & materiale Lingva-
 rum. Formale sæpè nulli non potest esse obvium, licet interim
 Materiale satis sit intricatum, adeò quidem ut Delio natato-
 re opus habeas. E.g. Mathematici asserunt, terram ex longinquo
 Fixarum æstimatam instar exigui alienius puncti apparere, nec
 tamen rusticus, licet verba intelligat, rem tenebit aut credet. Si
 hoc in naturalibus fieri solet, quid mirum si idem in Lingva E-
 bræa, mysteria ejusmodi quæ $\nu\theta\iota$ $\kappa\alpha\iota$ $\kappa\alpha\tau\alpha\lambda\eta\psi\iota\upsilon$ $\tau\eta\varsigma$ $\kappa\tau\iota\tau\epsilon\omega\varsigma$ $\alpha\iota$ -
 $\theta\omega\pi\acute{\iota}\mu\varsigma$ transcendunt, tractante $\tau\omega$ $\alpha\sigma\chi\epsilon\iota\kappa\tau\omega$ $\kappa\alpha\iota$ $\tau\pi\epsilon\beta\lambda\epsilon\upsilon\tau\iota$ $\tau\omicron\varsigma$
 $\gamma\epsilon\gamma\phi\acute{\alpha}\varsigma$ ului veniat.

Quibus præmissis, cum nos negativam teneamus, essent
 etiam nostræ negationi arietes firmi supponendi. Verùm enim
 verò, cum hoc iisdem argumentis, quibus Theologi scriptu-
 ram in articulis fidei non esse obscuram nec Sybillinis foliis Dei
 oracula occultare probant, assertum ire possemus, ad Theolo-
 gos probationem desiderantem transmittimus. Nos potius ad
Argumenta Jesuitæ respondebimus & generaliter & specialiter. In
 gene-

genere dicimus I. *Hinc discursum esse Sophisticum.* Siquidem ex
 puris particularibus procedit, quam formam concludendi pecu-
 lium sibi à vitiositate fecisse, nemo nisi qui *Αγορίας ἀγγύσια* la-
 borat, negat. Et non secus videtur colligere ac si quis assertum
 iret, integrum terrarum orbem desertum esse, argumento ex va-
 stis Lybiae solitudinibus petito. Aut omnes Papistas implicitam
 tantum habere fidem, cum sint, qui hac ipsa, sicut & Carbona-
 rius iste, quem Gregorius de Valentia plenis buccis laudat, suam
 fraternam ignorantiam aliis commendent. II. *Divinis assertio-
 nibus contrarium.* Si enim lingua Ebraea tota ambiguitatum monstris
 est involuta, Scriptura *וְיָנִי וְיָאֵל* *Psalm. 119. v. 105* *Prov. 6 v. 23.* &c. di-
 ci non poterit, III. *Malitiosum.* Siquidem illud quod probandum
 sumserat, silentii peplo planè involvit. Probare enim debebat,
 Linguam Ebraeam naturam esse ambiguam, & ipse quod petulan-
 tes eam in varias detorquere queant sententias demonstrat. Sed
 num malitia hominum Linguae Ebraeae fraudi esse poterit? IV.
Fraudulentum. Eò namque unice intendit, ut nobis Ebraeam
 Linguam sordere faciat, & sic paulatim à fontibus ad paludes seu
 versiones depravatas, imprudentes deducat. V. *Multorum ab-
 surdorum parentem.* Ut enim taceam hanc sententiam Deum (1)
 vel impotentiae vel invidiae acutare; (2) omnibus haeresibus am-
 plam nequiciae fenestram aperire, quam messem Theologis deme-
 tiendam committo, sequetur tamen 1. Neminem Judaeorum nec
 olim nec nunc quidem literis mentem suam explicare; quin & 2.
 ne brevia quidem papalia absque Spiritu Romae in pera (ut *Steidan.*
lib. 22. παλυθρύλλητον tempore Concil. Trid. iactatum refert) ex-
 pectando intelligi; imò 3. nullam Linguam authenticam esse pos-
 se, cum hac ambigua in omnibus, quas nos quidem novimus,
 linguis occurrant. Et ut posterius exemplo demonstrarem. Jesuitae
 Vulgata Versio (utpote *quam nemo quovis praetextu rejicere vel tan-
 tum praesumere debet. Concil. Trid. sess. 4. de r. 7.*) est authentica & tamè
 exemplum Jesuitae si retinemus in Vulgata eadem ambiguitatum
 monstra provenient, licet *juxta vulgatam versionem*, verba sunt Jes-
 uitae, *hic ipse locus sit perspicuus.* Praetermissa enim interpretatio-
 ne orthodoxa, sit (1) perversio. *In aeternitate creavit Deus caelum.*
 Siquis

Siquidem principium Joh. 1. notat aternitatem. (2) *In patre creavit Deus caelum & terram.* Origenes enim & Cyrillus illud: in principio erat verbum Joh. 1, 1. explicarunt, in patre erat verbum. (3) *In principis tabernaculo creavit Deus caelum & terram.* Sic enim Livius lib. 38. jura reddere in principiis sinebat, i.e. in principis tabernaculo, l. officium. ff. de re militari. l. prima. C. de Veteranis. (4) *In principe creavit Deus caelum & terram.* Sic enim Marcell. (laudante Adr. Turnebio in advers. lib. 2. cap. 9.) praesentibus Jovinianorum & Herculianorum principiis & tribunis causas vehementius aequo bonoq; spectaverunt, seu praesentibus principibus. (5) *In ultimo aciei seu Triariorum loco Deus creavit &c.* Sic enim Terentius: ego post principia stabo. Quod logodadali de Triariorum loco explicant. (6) *In principatu manifesto creavit Deus caelum.* Sic enim verba: tecum principium &c. Ps. 110, 3. ipse Bellarminus super hunc psalmum explicat. (7) *Propter primum opus creavit Deus caelum & terram.* Ita enim de Leviathan dicitur, quod sit principium viarum Dei, Job. 40. v. 14. & praepositio in, significat etiam propter, Dan. 2. v. 30. & alibi. (8) *Per principium creavit Deus caelum & terram.* Quod non vulgatus per in. Ose. 12, 13. expressit, id Pagninus voce per donare haud veritus est. (9) *In principio renovavit Deus caelum & terram.* Sic n. 6. creare Ps. 51. v. 12. Quin & (10) *In principio genuit Deus caelum & terram.* Sic enim Poeta: Fortes creantur fortibus. Ut caeteras vel tredecim adhuc hujus ipsius loci perversiones taceam, quae si Huntlaei vestigia premere vellem, proferre possem.

Nunc ad Adversarii argumenta erit respondendum in specie. Primum ne titivilitio emerem, praeter responsiones enim generales, addo & has: i. *Jesuitam hoc in loco viri vel mali vel imprudentis notam sibi affricare.* Siquidem Vir bonus, inquit Nigid. apud Gell. l. 11. praestare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat. Nullam v. radicem dari posse, quae non habeat diversas significationes expressè falsum, quod non solum Jesuita sui oblitus lin. praeced. agnoscit, quando voculam ferè addit (*multiplex ait, omnium ferè significatio*) sed & contraria exempla plurima dari possunt. Nobis sufficiat unum atq; alterum addidisse. Sic tritissima radix est **כבר** & tamen nunquam

F

non

non interire & perire significat. לָבַח luxit, tristis fuit, סָבַח saginatus, חָרַח cessavit, שִׁחַח renovavit, יָשַׁח bonum esse אָרַח in longum produxit, s. extendit; quod enim versio vulgata Dan. 4, 24. reddiderit nomen hinc deductum voce ignoscendi, in eo & ipsa & Jesuitæ, qui multis modis locū istum corrumpunt, quamvis ipsi fontes figmentum eorum satis refellant, falluntur & fallunt. קָהַח hebetari ab קַע derivata omnia premendi significationem retinent. לָלַח ululare, שִׁחַח in tribus prioribus scrutari חִקְשִׁיחַ duriter tractavit. עָצַח excisus est (vulgatus moriendi voce donavit, cum tamen mori & excindi differant, vid. Drus. in Pentat.) & vel sexcenta alia quæ proferre possem, ut interim sicco pede prateream, dari haud pauca, quæ semel in S. Scriptura legantur, ubi etiam unicam procul dubio significationem possidebunt. Chimæram n. Pontificiorum, quæ plures unius dicti sensus literales asserunt, jam dudum nostrates ad Indos & Garamantas ablegarunt. 2. Aliud esse propriam rei significationem inquirere, aliud inquisitam per plures docendi gratia declarare. Hoc Lexicographo interdum faciendum incumbit, imprimis si emphasis vocabuli uno vel altero exprimi commodè non potest. Sic nomina ἑπιχαιρακίας, πολυπραγμοσύνης, αὐγαρμείας, variis modis redduntur, idq; propter difficultatem emphasin in latio assequendi, quis tamen primariam & unam horum significationem negaret? 3. Lexicographorum omnium νενοφωρία non approbari. Eset enim potius primaria cujuslibet vocis significatio à secundaria omninò discernenda, ne confusum chaos oriretur. Quin & 4. Unicam literam A in Scripturis & alibi quatuordecim obtinere significata, nec tamen, quantum memini, Latinam Linguam an biguitatis quis accusavit, & sic etiā multiplex significatio & lexpirat, nilq; pro Huntlæo concludit.

Secunda ratio Jesuitæ potius ipsi contrariatur. Si enim אָחַח quod adducit Jesuita in Kal significat desiderare, in Piel v. abominari, utiq; etiam certam habet & unicam significationem, in certa conjugatione, & sic ab altera diverso scribendi & legendi modo facile discernitur, non secus ac in Latino pendere & pēdere; lactere & lactare. Puncta enim ab initio fuisse addita, jam dudum Nostrates evicerunt, & nos tanquam probatum hac vice supponimus.

Tertia

Tertia præter ea, quæ responsi loco jam dum posita sunt, Jesuitica eruditionis, qui omnia absque inquisitione transcripsit, præbet τὰ μὲν ἑστὶν ἀναμφοῖς ἑστὶν ἴσοι. Ait enim verba quæ adducit eodem modo scripta eademque in conjugatione contrariam habere omninò significationem, sed monstret ubi קרש profanare seu immundum reddere: monstret ubi סכן in una eademque conjugatione & de pauperare & thesaurizare significet. שחרש & arare & tacere significat. Verum posterior significatio in Kal tantum in secunda & tertia fut. 2. locum habet, ubi tamen duplex significatio punctis à Spiritu S. ἀνεστῶς discernitur. Aliud enim esse תחרש & יחרש, aliud itidem יחרש & תחרש quis est, qui non videat? In Hiphil verò arandi significatio non invenitur, nisi velis unicum participium excipere. שוב & סור sive שב & סר pro diversa constructione diversis gaudent significationibus non secus ac latinum: *consulate & consulo tibi* בך significat etiam maledicere, sed hoc fit per quandam ἐυφημίαν, ut loquitur Buxtorfius, quæ etiam latinis usitata; sic enim Cic. in Clod. Integritas tua te servavit, id est, malevolus animus te perdidit. Dieter. in Rhet. Aurea secula, spolia ampla &c. De נחם si suum sociennum Marinum videlicet consulisset, næ hic ipsi collum obstrinxisset. Reddidit enim in Arca sua Noë נתחם in Piel consolatus est. In Niphal verò, mutatus est animo vel pœnitentia & commiseratione. Licet verò quoad scribendi modum interdum conveniant, tamè & conjugatio & significatio diversa. Proinde scripturam ἐπεὶ ἔπειθ' ἔπειθ' non ὡς ἐν τῷ ἀπέργω seu τῷ ἀπέργω tractare jubemur. 2. Nec in lingua latina talia desunt, ut mōrari & mōrari, mōri & mōri. hæc ficus & hic ficus. Vēnit & vēnit. Bulla pontificia quæ verè bulla aquæ, missilia pontificum, missilia jaculantium &c. Vide integram horum sylvam sub calce Grammat. Latin. B. Dn. Erasmi Schmidii.

Ad quartam præter generalia repono. (1.) Quòd Theologi nostri ab interpretè linguarum cognitionem & mediorem legitimum usum requirant. (2.) Quòd nec curiosa Criticorum gens in omnibus hæctenus in latino consentiat, sed diversas unius sententiæ & voculæ



culæ proferat significata & rationes, v. g. quæritur adhuc inter doctos quid sit *vinum doliare apud Ulpian. l. 1. §. 4 ff de peri. & cõm. rei vend.* quæritur quid sit, *alia causa est udonum. l. 25. §. 4. ff. de aur. arg. legat.* Ubi quidam legunt *odonum*, quidam *ondonum*, quidam *ædonum*; plura possem & ex Cicerone proferre, nec tamen unquam Ulpianus aut Cicero, obscuritatis nomine est damnatus. (3.) *Quòd tanta difficultas in Radicibus investigandis nõ detur, quanta ab Huntleo prædicatur, si fundamenta, sine quibus ædificium facile corruiere potest, legitimè & fideliter fuerint jacta, & imprimis si reliquarum orientalium linguarum viatico quis non omninò caruerit.* שׁוּן *Prov. 4, 6. descendit à שׁוּן* (Jesuita שׁוּן indoctè posuit, cum nunquam significet dormire,) & sic שׁוּן iterabunt à שׁוּן lectione: ita & significatione distinguitur, perinde ut in שׁוּן יִירָאוּ *timebunt* & שׁוּן יִירָאוּ *videbunt.* Conf. *Drus. de recta lingue lectione cap. 7. p. 12.*

Quinta & sexta nihil planè concludit. Ii enim 1. *qui norunt, quid distent æra lupinis, discrimen etiam literarum facile ut digitos suos noverunt.* 2. *Mutationem literarum & punctorum doctis negotium interdum facessere non nego, sed hoc in paucis.* 3. *In omnibus linguis equulei vel fideiule sunt posite, ubi Grammatici torquerentur & cruciarentur, nec sese quivis supplicio facile liberare potest, attamen nullus ambiguitatis omnes accusavit linguas. Sic crucem, de qua penderent docti, videtur Ovid. lib. 15. Metam. posuisse quando ait:*

Liquit Fapigiam levisq; Amphisiarem

Sacra legit, dextra prærupta Celennia parte &c.

At licet sint, qui velut tenedia quadam securi (ut loquitur Adrianus Turneb.) has arbores infelices succiderint & everterint bipenni, nec tamen ruina quæsita salus & everfione omnibus placet. Exemplum verò quod addit planè est ἀπεργασίον, suumq; patronum συνάγχι (si non ἀπεργασίον ut ad illud *Gell. de Demosth. lib. 11. c. 9. respiciam*) laborare indicat. Punctum enim W impositum literam ab ambiguitate vindicat, certamque significationem ei imprimat.

In septima & octava causa desideramus præter generalia
Cando-

Candorem. Siquidem ante omnia qualem literarum vocumque defectum vel redundantiam intelligat, exprimere & exemplis demonstrare debuisset. Cum enim Jesuitæ multis modis contra scripturam conspirarint, ex diversis etiam castris eam adoriuntur. Hincque est, ut si quam dictionem vel literam in vulgata (ex versione de fonte ineptè judicantes) deesse videant, illam vel incuria vel nescio quorum Judæorum malitia textui irrepsisse clamitent. Si verò quid superfluum in vulgata inveniant, illud iterum malitia ex Scripturis esse erasum asserant. Hos Centauros Tragelaphosq; si nobis venandos propinat, eos à scriptura longissimè exulare clara voce pronunciamus. Si verò elliptica & pleonastica grammaticorum genera intelligit. Resp. 1. hæc non parere ambiguitatem sed *εὐδοκίας* & elegantiae causa adhiberi. 2. Horum exempla plurima & in aliis dari linguis. Quin & 3. vera pleonasmorum & ellipseon monstra in ἀγμολογῆται illa vulgata versione, ut est, qui eam sic indiget, latere, ubi integræ voces, versus & periodi vel deficient vel abundant, quod & Papistæ confiteri interdum coguntur; neque tamen hi Polypi latinam versionem ambiguitatis eo nomine accusant.

Ad exemplum respondeo. 1. plures dantur depravationes in latina versione, sicut superius videre licet. 2. De voce **לְהַרְגֵם** alibi erit dicendi locus. 3. Diligentiae Jesuiticæ egregium *τὸ κμηλον* est in **בָּרַח**, siquidem probandum ipsi incumbat **בָּרַח** significare succidere & ipse **בָּרַח** seu Piel adducit, quæ ut punctis & conjugatione; ita mirum non est, si & significatione differunt non secus ac pendere & pèndere. Et quia succidendi & conjiciendi significatione gloriatur ac si non quod pueri in fabis reperisset, audiat, quæso Marcum Marinum Jesuitam in Arca, sic enim ait: **בָּרַח** tantum de hominibus sicut & Kal de Deo solum quod notes velim. Eleganter dictum de loco inculto, qui opera quodammodo formatur. Sic Ezech. 21, 24. (noster Jesuita posuit v. 19.) & locum formato in capite via. Et 23, 47. Et formando eas in gladiis suis. Hebraismus elegans, nam formare gladio est interimere. Aliàs significationes verbi eligendi scilicet & succidendi



dendi afferunt alii nescio quibus adducti rationibus. Hæc Jesuita Jesuitæ respondet. Verbum כָּרַן quod ad sextam perversionem pertinet divinandi gaudere significatione negamus. In septima egregia spolia Jesuita refert, ait enim כָּרַן Psal 104 v. 30. significare renovare, sed fallit & fallitur. Verba ita sonant: תְּשַׁלַּח רוּחַךְ יְבִרְאֵן וְחִדְּשׁ פְּנֵי אֲרָצְךָ quæ vulgata reddidit: *Emitte spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ.* Ubi vides 1. Jesuitam indoctè confundere כָּרַן cum כָּרַן 2. Niph'al adducere cum de Kal sit sermo. Ultima ratio iterum subsistere non potest, nec micam eruditionis alit. N. enim C. verba quædam in Kal (quod tamen contra alios Jesuitas probè notamus & ingenuam hanc confessionem ἀμφοτέραις ὁλέαις accipimus, erit enim tempus ubi nobis contra ipsum Jesuitam utilis esse poterit) habent passivam significationem. E. & hoc verbum ubique ita confundi poterit, imprimis cum 1. sana ratio repugnet esse DEUM & tamen creari, sic enim Infinito esset prius quid & εἰς ἀπεργασίαν esset descendendum. Prædicata verò prout materia admittit sunt declaranda. 2. Quando passivè significant non præcedit Nominativus, ut faciliè inductione patet, confer. Gen. 16, 14. Es. 9, 6. Jerem. 23, 9. Mich. 2, 6. Amos. 4, 2. &c. כָּרַן cum Activo non fore semper notam Accusativi, negant nostrates & nos de ea re alibi. Interim hoc in loco & 1. Reg. XIX, 32, significare *ex*, negamus, cum verbum activum, præcedens aliud requirat. Neque etiam aliqua consequentia, si vel maximè Jesuitæ daremus, quod nunquam dandum novimus, particula כָּרַן interdum latinè redditur per *ex*, Ergò propriè *ex* significat vel à propria significatione nondum demonstrata absurditate ad alienam quivis confugere potest. Potius Rhetorum illud ubique est urgendum: τὸ ἐπιτῶ εὐσῆ, est adhaerendum, donec absurditas inde propullulet, & tunc conveniens ἀγνοία querenda. Atq; sic vidimus Jesuitæ rationes, & concludimus, quòd si ob prædictas rationes Jesuitæ Lingva Ebræa esset ambigua, nullà dari linguam, quæ sub ambiguitatum involucris non quælibet impia posset proponere, adeò, ut ἀδωατῶ foret, scripto vel literis mentem suam declarare.

CON-

CONTROVERSIA QUINTA

*An Matth. 16. v. 18. Syrus Interpres ponat Petrum
& ejus degenerem filium Papam Romanum
in fundamentum Ecclesiae?*

Pueris qui nondum ære lavantur tam notum quam quod notissimum Papicolas multa imò innumera *κρησφύγετα* quærere, ut adstruant secundarium seu vicarium Ecclesiae militantis caput post Christi in cœlos ascensionem esse Petrum & ejus falsissimum successorē Pontificem Romanum, qui sit caput quoddam Ecclesiae monarchicum. Causam rimaris ac miraris? En habe, quia diabolus (uti Isidorus loquitur, teste *Mentzero in prolegom. Aug. Confess.*) tanquam serpens lubricus, quando decipere quemquam quærit, in varias sese transmutat formas, jam in vulpīnam, jam in leoninam, jam suaviter blanditur, ut fallat, jam sævit, ut terreat, illius itaq; filioli filiolaq; quin minuti sint isti canes & degeneres, qui variis fraudibus lædere tantum innoxios nati & vexare, nullus dubito. Hujus rei plenam fidem abundè comprobat cum suis sociis Bellarminus, qui itidem, ut falsam gemmulam puerulis aut rusticulis imponere possit, variis utitur argutiis. Nunc enim ipsius os Scholasticorum commentis, vel traditionum *μορμολυκείοις* æstuat, nunc ad fontes se recipiens latibulum quærit in futuro *οικοδομήσω*, nunc convolat ad pronomen *ἐγώ*, è quo ingentes montes dependere sibi persuasum habet, nunc denique ad alia, nescio quæ, præfidia convolat, quorum verò omnium exactam enucleationem siccò præterimus pede, eamque superiori cogitandam recogitandamque relinquimus Facultati. Philosophus enim ne ultra suam philosophiam, neque Philologus ultra suam philologiam.

Postquam v. Jesuita TANNERUS suorum sociorum vestigiis insistens variis usus est fraudibus, ut alia & quidem firmiora suorum fratrum structuris supponat fulcimenta, ideo etiam postremo cœtum Christianorum armis Syriacis oppugnari totus studet.

Non inficior ! Verum an ejusmodi sonus semper res easdem
causet, mihi non persuadeo. Et certè, si unicuique esset fas &
licitum unius ejusdemque soni ergò pro appellativo assumere
proprium, aut pro apta & quam maximè convenienti formâ
Humano capiti (ut cum Horatio loquar) cervicem jungere

equinam, &

*Undiq; collatis varias inducere plumas
membris, — — — —*

quæ exinde orientur monstra. Rem claram exemplis clari-
orem reddere allubescit. Voculam ו Gen. 22, 17. & Esa. 3, 24.
unò eodemque gaudere sonò legimus. Illam v. diversissima
habere significata Eruditi tradunt. Et rectè: Nam priori lo-
co est particula, sed posteriori induit naturam nominis. Dici-
mus itaque significata vocularum uno eodemq; sonò gaudenti-
um, tantum haud rarò à se invicem distare, quantum particula
à nomine, proprium ab appellativo sequestrantur.

CONTROVERSIA SEXTA.

circa vocem וְלֹאֲבָרָא אֱלֹהִים

*An significantius Græcum κεναιτωμεν exprima-
tur per Syriacum וְלֹאֲבָרָא אֱלֹהִים quàm per
וְלֹאֲבָרָא אֱלֹהִים?*

ITa sibi persuadet SPANHEIMIUS *Dub. 23. de Kainan*, aded
ut non dubitet confidenter asserere hoc posterius loco prio-
ris vel alterius cujusdam, isti non planè dissimilis sub pio cor-
rectionis zelo irrepsisse Luc. 1, 28. Quod, inquit, fatum fuit
*Versionis LXX. & textus Græci Luce, potuit etiam Syriacæ Versioni
obtingere, & Kainan vel per fraudem vel specie correctionis pio zelo
inseri, quemadmodum & alia quedam in eandem versionem irrepsere
se quioribus seculis v. g. Luc. 1, 28. κεναιτωμεν vertitur per
וְלֹאֲבָרָא אֱלֹהִים plena gratia, quod ex vulgata versione in-*

G

ser-

certum videtur, tum quia Ephes. 1, 6. ubi verbum activum occurrit, longè aliter vertitur, tum quia vis verbi alia est, & alius significatus etiam apud profanos Scriptores. Adde, Syrum dicturum potius fuisse **ܟܪܝܢܐ** vel tale quid aliud accedens magis ad vim vocis Græcæ.





Quam modò citatus Auctor de voce **Καριὰν** attingit & decidere conatur controversiam, illam quinque famosioribus, iisdemquæ discrepantibus opinionibus agitatum & nobilitatum, non facimus nostram. Nec satisfacit Spanheim, & qui prior istius opinionis sive autor sive Patronus, Beza, aliis in confessione **ὁμοψήφοις**: contradicit L. de Dieu Comm. h. l. Expunxit id (**Καριὰν**) ait, in interpretatione sua Beza non rectè, & si Moses hunc non memoret, Gen. 11, 12. nec in vetustissimo suo Codice id legebat, quia non modò reliqua omnia exemplaria, sed & vulgatus Syrus & Arabs id legerunt, & apud LXX. dicto loco invenitur. Nec procedit Spanheimii conjectura concludens à posse ad esse: Sed hac controversiâ ad superiorem cathedram remissâ ad tres rationes examinandas accedimus, quibus evincere conatur illud **ܟܪܝܢܐ** esse insertum è vulgata Versione; harum verò rationum nulla est, quæ verisimilitudinem aliquam conjecturæ Spanheimii conciliet. Non 1. quâ urget Eph. 1, 6. verbum activum, ibi occurrens, longè aliter verti. In utroque enim loco reperitur **ܟܪܝܢܐ**, quo Syrus exprimere voluit abstractum vocis **χαρις** per quod intelligitur non gratiositas vel virtus aliqua sive donata sive connata, quo respicientes Papistæ reddiderunt per vocem Gratiolam vid. Jansen. c. 3. Harm. b. l. sed felicitas & beatitudo, vel bonitas seu beneficentia Dei, sicut notat B. Chemnitius in Harm. cap. 4. p. 115. Nec abijt Fullerus lib. 1. Miscell. cap. 8. p. 62. **ܟܪܝܢܐ** Syriacè **ܟܪܝܢܐ** dicitur, quod planissimè & ad verbum redditur **ܟܪܝܢܐ** i. e. bonitas. Conf. Trostii Lexic. Syr. in voc. **ܟܪܝܢܐ** p. 281. Non 2. quia vis verbi non est alia vel aliud significatum, ut ex modo dictis patet, nisi forsitan ideò aliam existimet, quia suppeditat sensum expeditorem, quem vel Beza vel Fullerus vel alii recentiores suggererunt. Etenim ut **ܟܪܝܢܐ** addam, Fullerus lib. 1. cap. 8. p. 62.

p. 62. vocis Græcæ Emphasin arcessit è verbo $\chi\epsilon\lambda\alpha\sigma\tau\omega\mu\acute{\epsilon}\nu\eta$ in Angelica Virginis salutatione verè & propriè est $\eta\chi\epsilon\lambda\omega$. Quæ opinio ex nondum hastenus concessa hypothese procedit, videlicet vocem $\chi\epsilon\lambda\omega$ passivè usurpari, quæ est quorundam Lexicographorum assertio, quod tamen non sine probabilitate negat Mercerus. Expediior est sensus, quem Beza eruit ex Ebræo $\chi\epsilon\lambda\omega$ quod tamen reddi solet non $\chi\epsilon\lambda\omega$, sed per $\epsilon\upsilon\delta\omega\kappa\epsilon\iota$ sicut LXX. consulenti patebit. Subjicit, aliud significatum obtinere etiam apud profanos Scriptores. Hoc verò effatum citato Autori aliud agenti excidit. Nec enim hoc verbum profanis familiare, sed D. Apost. peculiare, utpote quod non nisi Eph. I, 6. ab ipso adhibitum deprehenditur. Non 3. etsi enim negari nequit, satis congruè reddi posse per $\chi\epsilon\lambda\omega$, non tamen apodicticè, imò ne probabiliter inferatur: Ergò non sine depravatione redditur per $\chi\epsilon\lambda\omega$. A positione enim & inclusione unius subordinati ad exclusionem alterius N. V. C. Atque sic etiam de controversia sexta factis, procedit nunc

CONTROVERSIA SEPTIMA

de originatione vocabuli $\beta\eta\theta\epsilon\sigma\delta\alpha$ Joh. 5. quod Syrus reddidit $\beta\eta\theta\epsilon\sigma\delta\alpha$.

Qvam graviter hæc dictio Interpretes exercuerit, videre licet apud Chemnitium in Harm. cap. 45. p. 51. Jac. Martin. in præfat. super Test. Syr. Tarnov. Comm. in b. l. Circumferuntur autem tres principales, quoad ejus articulationem Originationes. I. Vetus Interpres ap. Chemn. l. c. ante hunc Tertul. ul. de Bapt. c. 5. & adversus Judæos c. 13. & post hunc Theophylactus Romanus legit per $\beta\eta\theta\epsilon\sigma\delta\alpha$, domum piscationis, quæ lectio refellitur ex duplici capite, nimirum tum ex repugnantia Codicum Græcorum emendatorum, qui constanter legunt $\beta\eta\theta\epsilon\sigma\delta\alpha$, tum $\beta\eta\theta\epsilon\sigma\delta\alpha$ evidentia, quam infert vox $\beta\eta\theta\epsilon\sigma\delta\alpha$ arguens hanc piscinam destinatam non piscibus capiendis, sed pecudi

five potandæ five abluendæ: hinc alii defectum substantivi ad-
 jectivo debiti ex *Nehem. 3, 1.* suppleunt, ubi, quæ porta gregis
 dicitur, eadem hîc pecuaria dici statuitur. II. Quidam genu-
 inam lectionem Βηθεσδα amplectentes à genuina tamen com-
 positione deflectunt. Compositum enim arbitrantur ex בית
 & themate Syriaco,  effudit, effusione vel naturali *Matth.*
23, 35. Luc. 11, 50. Act. 1, 18. vel supernaturali & mystica Act. 2, 33. 6.
16, 17, 18. Tit. 3, 6. Analogiam hanc derivationis superstruunt di-
 versis fundamentis, Schindlerus in *Lexic. p. 251* (secutus *Theophy-*
lactum in Job. p. 427. Roman. edit. Benjamin. in Itinerario) nec
 non Caninius in *disquisit. in aliquot loca N. T. p. 84.* sanguinis vi-
 ctimarum effusioni, adeò ut  Caninius dictam putet
 quasi victimarium. Cui sanè opinioni debitam vindicassent isti
 Autores probabilitatem, si commonstrassent sacrificia talia non
 tantùm in sanctuario apud altare, sed etiam ad piscinam offerre
 licuisse. Beza quarit analogiam in aquæ ductu, de quo prospex-
 it Ezechias *2. Reg. 20, 20.* Cui placito nisi meram conjecturam
 substerneret, plures consentientes post se relinqueret. III. In
 tanta circa compositionem varietate delabitur *Flacius in Notis ad*
Ingeniosam magis, quàm huic loco nativam & accommodatam
significationem. Interpretatur enim vocem Βηθεσδα non de
 piscina, sed de hospicio, quod propter decumbentes agrotos ex-
 tructum ibi fuit. Quarit prædium in Ebræo ביתא domum vel
 ædificium significante. Nec destitutus videtur subsidio Syri, qui
 illud circumscribit familiari suo  denotante locum, ho-
 spitium, attestante *Casaubono in Exercit. 11. ad annal. Baron. p. 120.*
 ubi  deducit ex Græco *δοχῆιον*, & huic adstipulante *Trostia*
in Lexic. Syr. p. 165. In cujus opinionis favorem etsi Βηθεσδα, repu-
 tari posset pro appellativo, attamen, ne sic quidem omni ex parte
 veritati satisfactum foret. Ebræum enim בית non semper speci-
 alius pro ædificio, domo &c. sed generalius pro quovis spatio
 accipi concedit & docet ipsemet *Flacius in Clavi pag. 1. voc. domus,*
 quando exemplum adducit ex *Esa. 3.* ubi domus animæ, ipso in-
 terprete accipitur pro globulis aut pastillis odoriferis de collo-
 penden-

pendentibus. Sic *domus congregationis* (inquit) i. e. *ulterius vita*.
Domus, inquit porro, *pro receptaculo*, ut 1. Reg. 18, 32. *secundum do-*
rum duorum satorum; & mox: Exod. 25, 27. *annulos*, quibus ve-
les inferuntur, vocat eorum *domos*. Sic è Försteri Lexico, quo
 non semel ceu clavi usus est in Clavis suæ ἐργασία adornanda, &
 constare potuisset vocem בית præter specialiore illam ab ipso
 indigitatam & generaliore ex ejus hypothese adductam quatuor
 alias obtinere significationes. Vide eundem in Rad. בית.
 Hujus vocis Ebraeæ latitudinem sequitur vox Syriaca ܕܡܘܫܐ
 quæ pro loco frequentius usurpatur, cum alibi Luc. 9, 6. Matth.
 24, 7. tum in hoc ipso Evangelio Johannis, vid. Lexic. Syr. Tractat.
 loc. cit. imò hoc ipso cap. 5. v. 13.

Controverfiam hanc intricatam dirimit Syra verſio, quando
 ܕܡܘܫܐ vertit ܕܡܘܫܐ quod est *domus*, vel etiam gene-
 raliter, accepto termino, *locus gratia, misericordia*. Ad conje-
 cturam Casauboni è græco δοχοῖον deducentis Syr. ܕܡܘܫܐ non
 habeo quod dicam, niſi quod aliquid parum analogum depre-
 hendatur in terminatione. Sicut enim, quæ à prima declinatio-
 ne Græcorum in ηs deducuntur, aſſumunt terminationem inter-
 dum Syriacam ܐ̄ sicut exempla evincunt Matth. 27, 55. ܡܘܫܐ
 Act. 28, 16. interdum Latinam ܡܘܫܐ: quæ à ſecunda defi-
 nente in η vel α forſiuntur terminationem ܐ̄ vel ܐ̄ v. g. à ܕܡܘܫܐ
 ܡܘܫܐ quæ à tertia deficiente in οs vel eandem terminatio-
 nem retinent v. g. Ap. 5, 1. à ܕܡܘܫܐ Syr. ܡܘܫܐ vel in ܐ̄ mutant
 v. g. à ܡܘܫܐ Act. 26, 26. Ita quæ ab eadem tertia in οv derivan-
 tur, ܡܘܫܐ πολὺ terminationem ܐ̄, ܐ̄ quieſcente in ܐ̄ adſciſcunt
 v. g. ܡܘܫܐ. Et tanquam de ſynoptica tum ܡܘܫܐ
 veias tum nativæ ἐρμηνείας ἀναλύσει. Quod ܡܘܫܐ hujus ܡܘܫܐ
 veias attinet, unde ortum traxerit ſine difficultate licet conſpicere,
 illam videlicet redundante è ſcriptione tum Græca, quæ in medio
 reſpuit aſpirationem, tum Latina, quæ ſecuta græcam eandem i-
 ſtam neglexit. Nos pergimus ad

CON-

CONTROVERSIAM OCTAVAM

An vocula ܡܢ , ex qua nomen Manna confectum, sit pronomem interrogativum Syriacum ܡܢ ?

Miram sanè inter Eruditos deprehendere licet varietatem in inquirenda origine vocis *Manna*. R. AbenEsra & nonnullis aliis Arabica vox est, quod tamen Cornelius à Lapide omnino improbat. Alii Syriacam esse prædicant; in qua sententia est LUDOVICUS de DIEU, qui scribit in *Grammatica sua Lingg. Orient. p. 142.* Apud Syros pronomem interrogativum personæ est ܡܢ , respõdens Ebræorũ מִי Interrogativũ rei est ܡܢ & ܡܢܝܢ quod apud Ebræos respondet pronomini מִי vel מִינִי . Istud ܡܢ interdũ abjecto } cũ præcedente vocali dicitur ܡܢܐ , nec aliud significare puto, quam *quid?* Hinc *Exod. 16, 15.* cum cibum illum cœlestem primò viderent Israelitæ & dicerent: ܡܢܐ ܗܝܢ ܗܝܢ per. sub ܡܢ quod respondet Syrorum Dsekopho; rectè LXX. verterunt τί ̅Ϛ̅ ̅Ϛ̅ ̅Ϛ̅ Et Hieronymus ܡܢܐ ܗܝܢ ܗܝܢ inquit significat *quid est hoc?* quæ expositio firmatur à Mose, qui addit, eos hoc dixisse $\text{ܡܢܐ ܗܝܢ ܗܝܢ ܡܢܐ ܗܝܢ ܡܢܐ ܗܝܢ}$ Hæc ille. Verum enim verò, (1) non verisimile est Syra hîc dixisse Judæos, qui antea semper Ebraica locuti erant. Nec (2) ulla ratio aut necessitas adfuit immutatæ Lingvæ; æquè enim facîle potuissent quærere de pane cœlitũs dato (si mens rogandi ipsis fuit) per pronomem Ebraicum interrogativum ܡܢܐ ܗܝܢ ܗܝܢ , quàm per pronomem Syriacum ܡܢܐ ܗܝܢ ܗܝܢ . (3) Nec aliud dari potest exemplum, ubi hoc pronomem interrogativum Syriacum in Fontibus occurrat. (4) In resolutione autem à Lingva communi & fundamentali ad dialectum Lingvæ præter necessitatem non est excurrendum. (5) Licet etiam quandoque apud Syros Dsekopho mutetur in ܡܢܐ , abjectio tamen

men

men $\tau\epsilon\text{N}$ in isthoc pronomine rara omnino est & vix ullius ex-
 empli. Sed quid R. Chiskia in *Comment. Libro super Pentateuchū*,
 qui *Chaskuni* inscribitur? Ille Ægyptiacam esse vocem dicit, cum
 in istā Lingva Q idem sit, quod apud Ebræos Q quid; nec
 hoc displicet CL. DRUSIO, in *Comm. ad loca diffic. Exod. c. 27. p.*
149. Valdè hoc se mihi probat, inquit; neque restat, nisi ut ali-
 quis ejus Lingvæ peritus nos in ea sententia planè confirmet. Et
 post pauca: *nihil porro absurdi*, pergit, *si dicamus, Israëlitas, qui tot*
annos in Ægypto vixerant, usos fuisse particulā ejus Lingvæ. Ast, cur
 tantum hic Ægyptiaca locuti sunt, non etiam alibi? Sententiæ
 tamen huic subscribit *Barthol. Meyerus in Prodromo Philol. Sacr.*
part. 1. p. 136. & *Joh. Piscator in Scholiis.* Alii Chaldaicum esse putant
 Q quod interrogat; sed sæpius de personā, rarius de re, ut *Prov.*
27. 1. deinde Chaldaicè non cum Kamez scribitur ut h. l. sed cum
 patach. Jesuita verò CORNELIUS à LAPIDE dicit: ex N
 factum esse N per Paragogen. Cujus derivationis cau-
 sam nullam reddit. Adducit exempli loco cap. 3. Esa. vers. 15.
 Q *quid est vobis?* Ast H in eo non est paragogenicum, sed par-
 ticula præpositiva affixo secundæ personæ Q sicuti & Masora i-
 bi notat Q coaluisse ex Q & Q . Addit aliud exem-
 plum ex *Psalmo 61. v. 8.* Verùm hoc triplici ratione est *ἀλλότῃ*,
 & extra oleas constitutum, tum 1. quod Q ibi sit cum patach po-
 situm, non Kamez, uti h. l. tum 2. quod accipi debeat non pro-
 nominaliter, sed verbaliter, perinde ut nostrum, quo cum ean-
 dem agnoscit Radicem. Est enim Imperativus, sicut rectè Pa-
 gnius vertit, non mutante Ariā Montano: *misericiordiam & veri-*
tatem præpara, custodient eum. Tum 3. quod Vulgata Versio, quæ
 Pronomen retinuit, non per *quid* verterit, sed per *quis*, exponen-
 do de personā, non de re: *misericiordiam & veritatem ejus quis re-*
quiret? Plerique omnes in eo conveniunt, ut verba populi Israc-
 litici N interpretentur interrogativè, quod etiam Vul-
 gatus Interpres Latinus facit, dum vertit, *quid hoc?* secutus LXX.
 qui habent Q $\tau\epsilon\text{N}$. Piscator etiam interrogativè in Germani-
 cis reddidit, *was ist das?* Diversam ab his longè sententiam fo-

vet



tem evanuit. Quam rem Judæi adhuc hodiè mensæ suæ quodam
indicio repræsentant panem sc. inter duo mensalia ponentes. *Paulus Fagius in Exod. c. 16. v. 15.*

CONTROVERSIA NONA De significatione dictionis Syriacæ

ܐܘܪܝܢܐ

Sicut pronomen ܐܘܪܝܢܐ tertiæ personæ non semper valet demonstrativum *Ipse*, nec semper verbum substantivum *Est*, ut ܐܘܪܝܢܐ apud Ebræos, coalescens tunc quoad pronunciationem cum dictione præcedente, sed interdum pleonasticum est, & tantum emphasin sententiæ addit, cum præcedenti dictione tunc quoq; coalescens, teste LUDOVICO de DIEU lib. 2. *Gramm. cap. 10. p. 137.* quod ante hunc WASERUS notavit, non rarò supervacaneum esse. Ita pronomina reliquarum personarum tam separata, quam affixa nativa quadam proprietate jam tum implicite in verbis delitescunt explicitè concipere & exprimere Syris non infrequens est. Neglexerunt hanc observationem TREMELLIUS & BODERIANUS passim in Versione Syriaca, cum primis *Matth. 6, 32.* vertentes


ܐܘܪܝܢܐ quærunt sibi, reprehensidè à LUDOVICO de DIEU *Comm. h. l. Rectius*, inquit, *ad verbum*, quærunt ea per pleonasmum Syris usitatisimum: propriè tamen ex more Hebraismi & aliarum Linguarum Orientalium sunt nominativi absoluti, ut totam sententiam veras simpliciter. Omnia enim hæc gentes mundi quærunt. Neglexit eandem ADAM CONZEN *Comm. in Matth. 26, 28.* ut enim nefando sacrilegio subtractionis calicis prætextum conciliare possit, insigne, quod ex authentico textu obtineri non potuit, in Syra paraphrasi subsidium se invenisse putat. *Non alio*, inquit, *intellectu verba capi possunt, quam ut dictum sit discipulis, bibite omnes.* Quare & Syrus Interpres vertit: *Vos omnes.* Nec acquiescit in hoc, sed ipse idiotismi Lingg. Orientalium ignarus adversus ejusdem scientissimos insurgit: *Quod,*
H per-

p̄ergit, improbè Junius & Tremellius Calviniani Interpretes dissi-
mularunt, quod videlicet unico affixo Achillem hereticorum proster-
ni viderent. Sed salva res est: Iste enim quem Adam Conzen in
arenam deducit contra hunc Achillem, Hector est tantum um-
bratilis & larvatus è larvatâ, quam sibi arrogat, Syriasmî co-
gnitione prognatus unde Achilles iste, quem metuat, Hectora
non habet.




Respondeo ergò (1) per Instantiam ex hujus cap. 26, 70.
desumptam, ubi Syncategorema πάντων redditur à Syro
כֹּל. Ergo. Nectamen vel plus vel minus indigita-
tur, quàm per Græcum πάντες. (2) Quod proprietas seu idio-
tismus Lingvæ exigat sine significationis vel intensiōe vel re-
missione affixum istud subinde adjicere, colligere licet ex irre-
fragabili fundamento non è longinquò acquiſito, sed ex hoc i-
pſo capite petito ad Conzenii negligentiam fortiùs redarguen-
dam, in quo Syrus docet, se longè significantiùs exprimere &
circumscribere πάντες cum pronomine, quàm absolute sine
adjecto positum; vertit enim πάντες υμεις v. 31. non per suum
כֹּל, sed per geminum pronomen tum affixum tum separa-
tum אנתון כלכון. E quibus inferitur, si propositum fuisset syro
patrocinari sacrilegio Papistarum, & dicere: Vos omnes, non
dixisset כלכון, sed אנתון כלכון. Sic in capite præcedenti 25,
31. 32. πάντες bis redditur per כלרון, cum dicere potuisset כֹּל.
Ita per adjectionem affixi circumscribit vocabulum πάντες
v. 1. c. 26. per כלרון. Sic & πάντες Marc. 1. quater redditur per
כלרון. Quibus & similibus exemplis superstruitur veritas Re-
gulæ supra positæ, Idiotismum Lingvæ esse terminis & catego-
rematicis & Syncategorematicis addere affixa sine significatio-
nis mutatione. (3) Ex hypothesi Adversariorum, quâ Syri au-
toritatem extenuant. Vid. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei
cap. 4. Non potest, inquit, ejus autoritas tanta esse, ut cum editione
Græca aut Latina comparari possit. Cornelius à Lapide Argum in
Epistol. Paulin. nota 6. Quædam habet, inquit, quæ doctis non
adeò placent.

CON-

CONTROVERSIA DECIMA

Num verbum Syriacum  Gal. 5, 6.
passivè vel activè explicandum?

BELLARMINUS ut figmentum istud (meritò figmentum no-
mino, cum res absq; sua forma esse non possit) de fide in-
formi & formata per charitatem obtinere possit, rimam se re-
perire putat hoc nostro in loco, *lib. 2. de Justif. cap. 4.* vocem in
medio *ܥܘܦܝܘܡܝܢܐ ܕܝ ܐܘܪܘܢܐ*, operatur per charitatem *ܐܘܪܘܢܐ*
ܕܘܪܘܢܐ passivè explicans, per perficitur à charitate. Verùm Pri-
scianus hîc vapulat; quia apud nullum Grammaticorum *ܥܘܦܘܪܘܢܐ* ope-
rari passivè exponitur. Et si ejus opinio staret, dicendum es-
set: *ܥܘܦܝܘܡܝܢܐ ܩܘܪܝܢܐ ܐܘܪܘܢܐ*, non verò: *ܕܝ ܐܘܪܘܢܐ*. Eckardus
in *Pandect. Pont. cap. 22. q. 5. p. 897.* Deinde ipse Apostolus græcâ
vocem in media voce constitutam activè sæpius usurpat. Con-
fer *Rom. 7, 5. 2. Cor. 1, 6. 4, 12. Eph. 3, 20. Coloss. 1, 6 9. 1. Thess. 2, 13.*
2. Thess. 2, 7. Jacob. 5, 16. &c. Rectè ergò B. D. BALDUINUS
græcum vocabulum *ܥܘܦܝܘܡܝܢܐ* vertit per operans, in *Comm. h.*
l. p. 48. LUTHERUS: Efficax est, *Tom. 6. Lat. Jen. f. 99.* unde &
HUNNIUS concludit: E. est effectus fidei. *de Justif. p. 179. seq.* I-
dem arripiunt B. D. GERHARDUS, *Tom. 3. Locc. Theol. §. 124.*
p. 1317. HUTTERUS in *F. C. p. 394. art. 3.* HULSEMANUS in
Manual. Aug. Confess. disp. 3. q. 7. p. 120.

Sed, inquis, Syro textu quid fiet, qui habet participium in
Ethpaël,  , quod à Radice  perfecit.
consummavit, complevit, deducitur. De quo passivo MERCER-
RUS & TREMELLIUS, quod semper passivè significet, ajunt.
Vulgò respondetur, Versionem Syram authentias nomine non
gaudere, quod etiam BELLARMINUS, cum videat hunc Para-
phrasten sibi toties repugnare, adsumit, *lib. 2. de V. D. cap. 4.* Ast
nobis medela huic gangrænæ adhibita non placet. Dicimus
ergò cum B. TROSTIO: *Conjugationes passive habent etiam signi-*
ficationem reciprocam, & in secunda Conjugatione significatio sepè

ca quod ad eas tandem angustias reductos suos deprehendit
DRUSIUS, ut præter unius auctoritatem allegare non ausus fu-
erit: *Hæc*, inquit, l. 1. *Præter. ad h. l. Matth. (Hoc est corpus meum)*
πυροματικῶς intelligenda esse docet Macarius Ægyptius homil. 27.
p. 382. tum ex rationis scrutinio, cui tamen pridem se unà cum
suis renunciaſſe videri vult SADEEL cum paſſim tum verò in
Præf. de meth. diſp. His armis inquam nimis infeliciter pugna-
tum hæcenus, advertentes L' Empereur & Camero, ἐτερόπω-
λέξεως patrociniū ſuæ desperatæ cauſæ acquirere conantur,
dum aſerunt deſuiſſe Syris vocabulum, quo ἔſignificat expri-
merent, adeo q̄; Salvatore neceſſariò adhibendum verbum eſt
pro ſignificat. Ita Conſt. L' Empereur in ὁδοιποροῖα p. 52. *Ebræi*
& Syri olim deſtituebantur voce, quæ denotabat, ſignificat &c. ejus
locò adhibebant Eſt, ut ideò etiam Saluator noſter in S. Cœna dixiſ-
ſe videatur: Hoc eſt corpus meum: quamvis panis potius ſignificaret,
quàm rei ipſa eſſet corpus Chriſti. Eadem prius inculcarat Camero
Tom. 2. in Matth 18, 8 & 9. p. 402. & 403. Tom. 3. Opuſc. Miſc. p. 514. 515.

Sed indignum eſt hominibus hæc literaturâ aliàs egregiè
excultis, & de eadem benè meritis, talia comminſci, indigni-
us aliis figmentum hoc obtrudere velle non ſine manifeſta pe-
titione principiū, cum nondum evicerint Salvatore dicere
voluiſſe, *Hoc ſignificat corpus meum.* Etenim figmentum eſt E-
bræos & Syros unquam deſtitutos voce, quæ denotaret ſignificat.
Hujus figmenti vanitas oſtendenda eſt è duplici capite. 1. E-
bræis & Syris nunquam deſuiſſe vocem æquipollentem. 2. Si de-
ſuiſſet non tamen potuiſſe in ejus locum ſubſtitui vocem *Eſt*, Pri-
mum per inductionem deduco ex collectione ſingularum ſpe-
cierum; nunquam enim deſuit iſtis ejusmodi vox tale quid de-
notans vel abſtractiva vel concretiva, vel complexa vel incom-
plexa. Non concretiva incomplexa: contrarium enim patet
ex LXX. Interp. qui ἔſignificat expreſſere per varias Radi-
ces, quales ſunt מלך, נגר, זהר ſicut ex Concordantiis KIR-
CHERI liquet. Non concretiva complexa; quatenus circum-
ſcribitur per הוּיָהוּ לְאוּרָ Gen. 17, 11. הוּיָהוּ לְאוּרָ Luc. 11, 31.
Non abſtractiva, denotans ſignum. Varia enim Ebræis & Syris

suppetierunt nomina, quibus expresserunt varia signorum ge-
 nera connotantia respectum vel ad causam efficientem, ut sunt
naturalia & à naturâ ordinata, eaq; tum *onuatixâ* tum *teq-
 ywaxâ* rem futuram portendentia; *voluntaria*, *xy* *ovq; xaxi*
 sive ex instituto significantia, eaq; partim humana, partim divi-
 na; & hæc porro tum universalia tum particularia; vel ad finē,
 qualia sunt *μνημορευτικὰ*, *τηλετυτικὰ*, *τελεγιωτικὰ*, ad quæ singula
 ferè exprimenda adhibitum legimus in V. T. *אֱלֹהִים*, in N. T.
ΠΑΤΗΡ, quod negare non audeat PAREUS *Comm. in Gen.* pag.
 905. ubi prædictas signorum species fusiùs profequitur. Secun-
 dum liquet, non potuisse Ebræos & Syros terminis *אֱלֹהִים* *אֱלֹהִים*
 vel hisce æquipollentibus pronomibus singularium triù per-
 sonarum loco uti, ipsius *L'Empereur* l. c. p. 241. & *Ludovici Dieti*
in Harm. p. 737 iudicio. Ista enim pronomina juxta nativam
 tum categorematum tum syncategorematum singularium in-
 dolem denotant existentiam, non verò prædicati cum subjecto
 identitatem & convenientiam vel essentialem, sicut fit in pro-
 positionibus quidditativis, vel extraessentialem necessariam,
 quod contingit in propositionibus quibusdam paronymicis.

CONTROVERSIA DUODECIMA.

*Circa titulos & inscriptiones, quibusdam Syriacæ
 Versionis exemplaribus intertextas.*

UT aliquam, si non certitudinem, certitudinis tamen speciem h. e.
 antiquitatis canitiem conciliarent, variis abusibus in Ecclesiâ inve-
 ctis Syriâ Paraphrasi abuti debuerunt superstitiosi istorum abusuum
 Patroni. Hac abutitur BELLARMINUS *lib. 4. de V. Do. ap. 4. s. ult.* ubi as-
 serit & imprudenter & impudenter, *hanc editionem ipsam apertissimi men-
 dacii convincere Lutheranos, jejunia, preces, &c. tanquam Romani Ponti-
 ficis traditiones.* Bellarmini vestigia legit CORNELIUS a LAPIDE *Arg.
 in Epist. Paulin.* nota 6. p. 16. ADAM CONZEN *quæst. 6. Proöm. in Evang. p.
 23.* Post-hos omnes Cornelii Epitomator MENOCHIUS *Proleg. in Script.
 S. c. 16. de utilitate Versionis Syr. Hujus,* inquit, *editionis duplex est utilitas:*
communis &c. Peculiaris est contra hæreticos nostri temporis, quin adju-
retor habeat titulos & inscriptiones varias, quibus significatur, quid ex N. T.
legi soleat in hujus aut illius Sancti festo die, in Generatione S. Crucis, in qua-
dragesimâ, in jejuniis aliis, in commemoratione fidelium defunctorum, &c. è
quib; Ecclesiæ ritus stabiliuntur & consensus ostenditur cū Romana Ecclesiâ.
 Re-


Respondeo (1) hanc objectionem refutari ex hypothesi MALDO-
 NATI in Comm. col. 10. & si qua è quibusdam rationibus concludit titulos
 Evangeliorum non esse ab Evangelistis; unde concludere licet, si proba-
 biliter hoc licet asserere de titulo seu inscriptione principali, probabi-
 lius adhuc idem asseverare licebit de inscriptionibus & titulis minus
 principalibus. Ex simili hypothesi concludere liceret coævitatatem parti-
 tionis libb. N. T. in capp. & versus hodiè receptæ, quæ tamen ab antiqui-
 tate penitus ignorata, utpote quæ divisit libb. N. T. in ΤΙΤΛΟΙΣ & ΤΙΤΛΟΙΣ
 ποτὶ in κεφάλαια. Vid. Casaubon. in Notis ad Matth. 1. Ne verò as-
 sersionem probabilitati, sed apodicticæ veritati superstruamus, Resp. (2)
 directè ostédendo è testimonio irrefragabili istas inscriptiones nò esse te-
 xui coævitas, sed multis seculis posteriores. Confirmatur hoc l. in specie,
 quoad annotationes de Festis, quas in antiquissimo exéplari (ante annos
 800, teste Rutgero Spey in præfat. Arab. Epist. ad Galat.) manuscripto ac-
 cessisse refert Junius in Bibliotheca Heidelbergensi. II. In genere, de om-
 nibus inscriptionibus è Dial. 3. Petri Vergerii de Ofio. Codicem Syrum
 (sunt verba Dial.) primus in Europa imprimi curavit Ferdinandus Impe-
 rator Anno 1561. operâ cujusdam Meridinaei natione Syri, qui Româ fuerat
 Viennam accersitus, ut editionem judicaret. Moses iste Meridinaei postea fuit
 cum Vergerio, à quo quæstus, quemnam putaret scripsisse Lingvâ Syri N.
 T. ignorare se agebat auctorem, sed Codicem fuisse valde vetustum, nec dis-
 sentire à Græcis & Latinis editionibus. Testatur porrò idem Vergerius, se
 ab eodem Mose audivisse, Johannem Lucretium, V. Vidmanstadium, Cesaris
 Cancellarium & operis hujus procuratorem, præter Evangelium Syriacæ lin-
 gvæ scriptum habuisse seorsim aliquot folia, etiam Syriaco, sed quæ ipse Mo-
 ses aperte fateretur fuisse non multorum annorum: Lucretium tamen ea
 quoque curasse excudi, unâ cum ipso Evangelio, testatumq; fuisse in suis
 præfationibus ea non multo post tempora Apostolorum scripta esse; in illis au-
 tem foliis fuisse indicem, qualem Papistæ solent affigere editionibus N. T. h. e.
 quodnam fragmentum debeat legi in die dedicationis Templorum, in die mor-
 tuorum, in festo Virginis & aliorum Sanctorum. Hactenus Vergerius.
 Resp. (3) distinguendum est, inter Syram Versionem & ejusdem Editio-
 nem quam variis depravationibus, sicut alias editiones ista quoque for-
 tuna exercuit, obnoxiam esse hactenus extra controversiam fuit. Hanc
 distinctionem tacitè insinuant & approbant Papistæ supra citati, qui men-
 tionem faciunt non tam Versionis, quàm Editionis.

Ad dijudicandam verò depravationem duo κετνησα potissimum
 suppetunt, quorum alterum subministrat τὸ πρὸ λέξεως, & idi-
 otismus Lingvæ; alterum τὸ πρὸ πρόγματι. Prius ita se habet:
 Toties suspicari licet textus depravationem, quoties terminus & significatio-
 ne & terminatione unus & idem in textu authentico redditur per terminos
 diversis quoad significationem. Hujus κετνησα veritas nititur irrefraga-
 bili testimonio, prætermisso exemplorum suffragio. Produco testimo-
 nium (1) MERIDINAEI modò allegati, testantis Syram non dissentire à
 Græ.

Grecis & Latinis editionibus, unde elicitur: si dissentit, eatenus non agnoscendam pro Syriaca Versione. Huic *κερτασία* superstruxit suum conatum Sixtus V. P. R. qui Versionem Latinam, quam Synodus Tridentina probaverat, ceu authenticam, locis plurimis, velut à textu authentico nimis deviam castigandam procuravit. Item Clemens VIII. ultra Sixti molimina assurgens novam obtrusit Vulgaræ Versionis editionem. *Vid. Sixtin. Amama lib. 1. Antibar. Bibl. c. 4. §. 6. seq. p. 58.* (2) LUDOVICI de DIEU in hac literatura versatissimi, *præfat. Comm. in IV. Evang.* Ego verò, inquit, palam profiteor, nunquam vobis magis confirmatam fuisse fidem, quam ubi non modo veterem illum interpretem Latinum, sed & Orientales illos Syrum, Arabem, Æthiopicum, quibus Evangelium Ebraum dedit, ita ad amissim in omnibus convenire vidi, ut si res fidei spectes, ortum Christi &c. cum ubique consensum invenias, qui de rerum gestarum veritate dubitare non nisi improbo permittat. Quod Evangelium constituit, quod Christi notitiam exhibet, quod fidem salutarem generat, quod mores format, quod animum pacat, quod conscientiam iræ Dei percitam tranquillat, apud omnes idem est. Ex quibus Ludovici Dieu assertionibus elicitur, quicquid non idem est, illud non pro genuina lectione, sed pro depravatione reputandum esse. Posterius desumitur ex indole seu habitudine subjectæ materiæ & circumstantiarum. Toties suspicari licet depravationem, quoties implicatur vel explicita vel implicita, eaq; vel contextui vel circumstantiarum aliarum concentui & harmonia repugnans contradicit. Ex hoc *κερτασία* concluditur *περὸ διορτασίου* clausulæ Epistolæ ad Titum additæ esse supposititiam; quia repugnat versui 12. præced. ubi constituit Apostolus se missurum non Zinam & Apollo, sed Arteman & Tychicum, sicut pridè observavit DRUSIUS *lib. 8. Præter. in h. l.* Hoc ipsum substernunt iudiciis & censuris ad discernenda Patrum scripta genuina à supposititiis & spuris. Sic AUGUSTINUS partim ex stylo & dictionis habitu partim ex genere argumentorum iudiciū ferens, pronunciat se illa, quæ vitata putabuntur, genuina Cypriani scripta esse, agnoscere. Subsumo sub hætenus declarata hypothesi: Atqui in talibus inscriptionibus deprehenditur contradictio repugnans tum subjectæ materiæ, tales superstitiones planè ignoranti, tum circumstantiarum concentui, præsertim istius ætatis, quæ enata existimatur hæc Versio, antiquissimæ, a deo quæ talium novitatum penitus nesciæ, quippe quas multis retrò seculis superstitio Papistica invexit. Multæ adhuc ventilandæ restabant controversiæ; Cum autem pagellæ præter mentem, quam sub initium hujus, qualis qualis, laboris capiebamus, hætenus excreverint, nobisq; alias ob causas nunc non liceat esse prolixioribus, hic filum aberrumpimus; Reliquas alii diei, aliiq; labori remittentes. Intereà sit

SOLI DEO GLORIA! ERRATIS VENIA.





Ung VI

7

= Occasionalia

Vol. 14

ULB Halle
005 425 59X

3



box

St


3





120





Farbkarte #13

B.I.G.



13

RICI SCHARFII
P. F. ADJ.
ERSIARUM
YRARUM
US UNUS
QVETUR.

ⲛⲟⲩⲓ ⲛⲟⲩⲓ ⲛⲟⲩⲓ
ra Linguarum, 1. Cor. XII, 28.

ERGÆ,
EO HAKIANO,
LXXII.

